93.

7
8-D
93

6
15 D
20

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Commentatio hiſtorica

De

Ortu et Progreſſu Civitatis NORIMBERGENSIS

Liberæ ſemper nec unquam municipalis

congeſta & conſcripta

à

Io. Paullo Roedero

Diac. Lauf.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bibliothecae Coll. Rom. Soc. Jesu

apud Johannem Georgium Lochnerum

Norimbergæ

A. O. R. cIↄ Iↄcc xxxxvi.

Digitized by Google

S. R. I.
LIBERAE
CIVITATIS NORIMBERGENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO
SIGILLATIM
PERILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS
DOMINIS, DOMINIS
DVVMVIRIS
TRIVMVIRIS
SEPTEMVIRIS
CONSVLIBVS
SENATORIBVS
S. C. MAIESTATIS CONSILIARIIS
ACTVALIBVS
SCVLTETO CASTRIQVE IMPERIALIS
PRAETORI
CLINODIORVM IMPERIALIVM CVSTODIBVS
CENSORIBVS PERPETVIS
SVMMISQVE AERARII PRAEFECTIS
RERVM
SACRARVM AC LITTERARIARVM
PROVINCIALIVM ET MILITARIVM
PRAESIDIBVS AC PRAEFECTIS
PATRIBVS PATRIAE CONSCRIPTIS
DOMINIS
AC
MAECENATIBVS
PRVDENTISSIMIS BENIGNISSIMIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INTER
PIAS
RERVM PROSPERRIMARVM
GRATVLATIONES
SINCERAS
OPTATAE FELICITATIS
ADCLAMATIONES
HANC
ELABORATAM A SE COMMENTATIONEM
DE
CIVITATIS NORIMBERGENSIS
LIBERAE SEMPER NEC VNQVAM
MVNICIPALIS
ORTV ET PROGRESSV
PRO EA. QVA DECET
PII GRATIQVE ANIMI
SVBMISSIONE AC DECLARATIONE
OBSERVANTISSIME PROLIXISSIMEQVE
D. D. D.
NOMINVM SPLENDISSIMORVM
CVLTOR PERPETVVS

Io. Paull. Roeder
Diac. Lauf.

Digitized by Google

VIRI PERILLVSTRES AC GENEROSISSIMI PATRES PATRIAE SPLENDIDISSIMI DOMINI AC MAECENATES GRATIOSISSIMI

QVamuis mihi ex decreto ueſtro, Patres conſcripti, demandatum et iniunctum ſit, ut ex ſacro rerum diuinarum officio miniſterioque Chriſtiani gregis, qui Lauſae eſt, curam habeam geramque indefeſſam ſimulque omnem in erudiendis corroborandisque hominum meae fidei concreditorum animis operam induſtriamque conſumam: tamen ego, quum in omnibus officiorum munerumque publicorum generibus cuique hominum permittatur, ut reliquum a curis demandatis abſolutisque tempus uel otio

 hone-

honeſto uel aliis exigui momenti rebus impendat, nunquam ego non confido et ſpero, fore, ut, quos horis ſucciſiuis perfeci et conſummaui rerum optimarum honeſtiſſimarumque labores, aequo animo facilique iudicio, Cenſores prudentiſſimi benigniſſimique, ſuſcipiatis et approbetis. Neque uero id a VOBIS, Maecenates indulgentiſſimi, uitio temeritatisque crimini uertetur mihi, quod ueſtras in conſeſſu pleno curas publico ciuium uſui deſtinatas priuata ſtudiorum meorum audacia intempeſtiuoque conſilio interpellare non erubeſcam. Quum enim iam ex multo tempore, quo Gymnaſii Aegidiani Norimbergenſis curam a VOBIS mihi demandatam gerebam meamque ſaepius in praeſentia ueſtra publice ſolenniterque habitis exercitiorum ſcholaſticorum tirociniis induſtriam fidemque declarabam, factum omnino ſit, ut ſtudium hoc praeſertim meum, quod in explicandis illuſtrandisque rerum patriarum antiquitatibus uerſatum eſt, ſingulari fauore nutuque ſereno exciperetis et comprobaretis: eo me tantae benignitatis fortuna compulit et inſtigauit, ut, quae de certis rerum Norimbergenſium momentis ex antiqua Scriptorum probatiſſimorum fide conquiſiui, ueſtrum in gremium deponere ueſtroque iudicio reſeruare non dubitarem. Maxime uero, quum uiderem et legerem, noſtris fuiſſe temporibus Scriptores quosdam recentiores eo usque progreſſos, ut omni fallaciarum et obiectionum modo priſcam ciuitatis

noſtrae

noſtrae libertatem imminuant opprimantque aut ſaltim captioſis glaucomatum argumentationibus incertam ambiguamque reddant : eum in finem, quicquid habebam cognitionis aut ingenii uiriumque, collegi, ut factis in patriae noſtrae libertatem obiectionibus reſponderem ſimulque ex firmiſſimis Auctorum probatiſſimorum teſtimoniis ortum et progreſſum Ciuitatis Norimbergenſis luculenter exhiberem. Accipite ergo, Patres Patriae Maecenatesque optimi, Commentationem hanc de Ciuitatis noſtrae liberae ſemper nec unquam municipalis ortu et progreſſu a me congeſtam et elaboratam ceu debitum ſincerumque pietatis et amoris in patriam documentum publicumque etiam pii gratique ergo VOS ueſtramque benignitatem animi et obſequii teſtimonium pro ea, qua ſoletis, paterni et liberalis affectus clementia induſtriamque porro meam ueſtro nutuum propenſiſſimorum aſſenſu et conſenſu gnauiter egregieque concitate et ſubleuate! Tanta igitur ueſtrae gratiae, Patres Conſcripti, felicitate mactatus eo etiam, DEO uolente, pro uirili contendam, ut non modo penſum illud, quod de hiſtoria Ciuitatis Norimbergenſis ad interregnum usque magnum reſtat, abſoluam, ſed etiam rerum patriarum ſuccinctam VOBIS enarrationem ſeu Compendium pro ingenio iuuentutis imbuendae formandaeque ſiſtam. Quod reliquum eſt, Maecenates indulgentiſſimi, Numen optimum maximumque feruentiſſimis uotorum concepto-

rum

rum precibus et ſuſpiriis conſtanter indefeſſeque defatigabo, ut ueſtram, Domini Muſagetaeque, uitam ſplendidiſſimis diuinorum beneficiorum acceſſionibus fortunaeque caeleſtis et perpetuae ornamentis auctiorem ſubinde cumulatioremque reddat ſimulque etiam graues inter negotiorum publicorum curas et moleſtias largo uirium integerrimarum affluxu recreet confirmetque et ad ſeros usque poſteritatis annos conſeruet tandemque uero ad immortalem nominum et meritorum famam memoriamque traducat prouehatque.

Datum Lauſae Cal. Februariis

A. O. R. cIↄ Iↄcc xxxxvi.

Licet

LIcet priſca Ciuitatis Norimbergenſis libertas iam a multis retro ſaeculis turbulentas inter fortunae iniurioſae uices toruamque inter hominum malignorum inuidiam crebraſque bellorum internorum diſſenſionumque ciuicarum tempeſtates eum nunquam in ſtatum delapſa ſit, ut ſua iurium et priuilegiorum immunitate ac praerogatiua eximeretur, ſed potius iam a temporibus Henrici III Romanorum Imperatoris *, quantum ex diplomatis conſtat, inter ciuitates regiae poteſtati addictas relata comprobetur illincque uero pulcriora ſenſim ſenſimque ex incredibili Caeſarum auguſtiſſimorum gratia indul-

A gen-

---

* Sic legimus in diplomate, quod Henricus IV Imperator XIV Kal. Aug. A. MLXII Moguntiae dedit Furth in pago Norigoue ſito: - - - - *locum illorum iuris Furth dictum in pago Norigoue ſitum - - - - mercaturam a beatae memoriae Patre noſtro aliquando ad* Norinberc *translatam cum theloneo et percuſſura proprii numismatis reddimus et confirmauimus.* Conf. Singularia Norimbergenſia pag. 322. Aliud *extat* diploma, quod *Henricus IV Imperator* dedit in immunitatem Wormatienſium ciuium, A. 1073, his uerbis: *thelonium, quod in omnibus locis* Regiae Poteſtati *adſignatis, uidelicet Franfurth, Popparden, Hammerſtein, Dortmund, Goslarae, Angerae,* Nurenberc, *Iudaei et ceteri Wormatienſes ſoluere praetereuntes debiti erant, Wormatienſes ne ulterius ſoluant Zoll, remiſimus.* Conf. Singul. Norimberg. pag. 340. Tertium eſt diploma, quod Henricus V Imperator Wormatienſibus conceſſit A. 1112 in teloniis et re iudiciaria cum formula de non reuocando: *telonium, quod* Pater *noſter Wormatienſibus remiſit, nos etiam remittimus - - confirmamus in omnibus locis imperiali poteſtati aſſignatis, Frankenfurt - - - - Goslariae, Angeriae et* Norenberck. Conf. Singul. Norimb. pag. 366.

gentiaque poſt DEI nutum incrementa ſumſerit: fuerunt tamen ex recentiorum Scriptorum numero acerbiores quidam libertatis Norimbergenſis Cenſores, qui eam omni machinationum et cuniculorum genere labefactare aut ſubruere contenderunt. Verum enim uero quum uiderem, tales noſtrae ciuitatis oppugnatores non iuſtis ſemper, ſed plerumque fallacibus armis pugnare: auſus ſum in medium proferre ea, quae pro aſſerenda Ciuitatis patriae libertate collegi et conſcripſi. Vt igitur, quam telam commentationis de Norimberga ſemper libera exordius ſum, eam facili et expedita manu pertexam et abſoluam, e re duco, niſi fallor, prius, quam, quid ſenſero affirmaueroque, dicam et expromam, falſas fucatasque hominum quorundam acerbe feruideque ſentientium opiniones refutare coloremque ipſis et ceruſſam abſtergere, deinde uero difficultatibus obiectionum remotis et extricatis luculenta *ſcriptorum teſtimonia in medium proferre* ex iisque *ſententiam de Norimbergae ſemper liberae ortu et progreſſu legitime deductam explicare*. Inter illos autem, *qui Ciuitatis Norimbergenſis antiquitatem et libertatem omnibus machinationibus et cuniculis oppugnant*, primum occurrunt ii, *qui Norimbergam dicunt fuiſſe quondam inter Sueuiae Franconiaeque municipia* *. Mirandum eſt ſane uel eos etiam, *qui Burggrauiorum* ex nobiliſſimis familiis ortorum *dignitatem et poteſtatem laudibus ampliſſimis decantare ex inſtituto uidentur*, ſummo ſtudio ſummoque opere niti, ut perſuadeant aliis, Norimbergam diu fuiſſe locum tenuem et exilem nexuque municipali obſtrictum: *quum tamen eo ipſo*, quo ciuitatis Norimbergenſis libertati uim intentant, Comiciae *Burggrauiae conditionem* mirum in modum extenuent *ſummasque in anguſtias cogant* **. Quid enim, *ſi*

---

* conf. Erläuterung der guldnen Bulle II Theil pag. 952. et Nordgauiſche Alterthümer II Theil pag. 421. Analecta Nordgau. I und IX Nachleſe Uffenheimiſche Neben-Stunden VItes Stuck. Add. Nordgauiſche Alterthümer Part. III Cap. I; ubi Auctor cramben bis coctam appoſuit.

** de Comitia Burggrauiae, ut in diplomate Rudolphiano ad A. 1273

ſi Norimberga municipalis fuit, annon et *caſtrum ipſum eiusdem conditionis haberi debet*, annon etiam *Caſtellani Praefectique imperiales* itemque *Burggrauii municipales* Sueuicique miniſteriales *credendi ſunt?* Neque uero ulla ratione probari poteſt, caſtrum et oppidum a ſe inuicem disiunctum ita fuiſſe, ut oppidum quidem ſed non caſtrum poteſtati Sueuicae pareret: quum potius ex **Ottone** *Friſingenſi* conſtet, *oppidanos Norimbergenſes cum ingenti clamore deſcendentes caſtra* (*Lotharii* uel *Sociorum Imperatoris*) *iam uacua irruiſſe et, ſi qua ibi remanſerant, diripuiſſe dominosque ſuos* (*Fridericum et Conradum Sueuorum Duces*) *cum magna laetitia ſuſcipientes in* **caſtrum** *duxiſſe, Duces uero poſtea* **oppidum ipſum** *uictualibus aliisque neceſſariis muniiſſe* atque ita Sueuorum Duces *caſtrum* et *oppidum Noricum* in poteſtate habuiſſe *

Illi ergo ueteris Officii Burggrauiae defenſores ſi Norimbergae detrahunt immunitatem, ſuo ſeſe gladio iugulare ſibique propria uineta caedere uidentur. ** At nunc ſi eorum, qui Norimbergam Sueuorum Ducibus gentilitiam haereditariamque fecerunt, rationes probationesque diſpicimus: *Ottonem Friſingenſem* allegant et citant, qui ſcribit *Libr. I de Geſtis Friderici I cap. XVI et XVII* his uerbis, *Lotharium caſtrum Noricum, ubi Fridericus et Conradus Sueuiae Duces praeſidia poſuerant et* **tanquam iure haereditario** *poſſidebant - - - - obſidione clauſiſſe - - - - Fridericum Ducem fratremque ſuum Conradum collegiſſe milites ac dato oppidanis* (*Norimbergenſibus*) *die ac ſigno ipſos quadam*

et 1281 uocatur, conf. Hiſt. Diplomat. Sect. VII ad A. 1219 fol. 191, 219; item ad Ann. 1273 et 1427.

* conf. Otto Friſingenſis Libr. I de Geſtis Friderici I Imperatoris cap. XVII.

** conf. C. G. Schuuarzii Epiſtola ad Orat. Waldſtromeri de Curiis Norimbergae habitis pag. 111. Add. Kurtze und beſt-gegründete auch zu mehrer Erläuterung der Teutſchen Staats- und Reichs-Geſchichte dienende Gedancken über das Alterthum und den Anfang der Unmittelbarkeit der Reichs-freyen Stadt Nürnberg 1743 in fol.

dam die cum militia ſua caſtro (Norico) appropinquaſſe, hoc uidentes oppidanos laetitiam cordis diſſimulare non ualentes in uoces magnas et cantus prorupiſſe, ſoluta obſidione oppidanos cum ingenti clamore deſcendentes caſtra iam uacua irruiſſe et, ſi qua ibi remanſerant, diripuiſſe dominosque ſuos cum magna laetitia ſuſcipientes in caſtrum duxiſſe. Alium praeterea locum producit Auctor Memorab. Nordgou.* ex *Ottone Friſingenſi Libr. I de Geſtis Friderici I cap. XXXVII,* quem ſic exſcribit explicatque: *unde factum eſt, ut non pauci Iudaei huiusmodi immanitatem fugientes in oppido Principis* (*ſcilicet,* ut aduerſarius putat, *Friderici Ducis Sueuiae*) *quod Noricum ſeu Norenberg appellatur, aliisque municipiis eius ad conſeruandam uitam ſe reciperent.* Iam uero ut ipſius Auctoris Memorab. Nordgau. argumenta, quae ex allegatis hiſce teſtimoniis eruit, aequa lance ponderemus, primum eſt, quod concludit ex poſteriore *Ottonis Friſingenſis* loco, *caſtrum Noricum ſeu Norenbergam uocari oppidum Friderici, qui tunc temporis nondum factus eſſet Imperator, atque adeo fuiſſe Norimbergam ea aetate municipalem Sueuiae.* At enim ſi uerba ipſa *Ottonis,* quae ſic ſe habent, *inter haec Rudolphus monachus ------ multa populorum millia ad accipiendam crucem accendit. Hoc tamen doctrinae ſuae non uigilanter interſerens, quod Iudaei ------ tanquam Chriſtianae religionis hoſtes trucidarentur. Quod doctrinae ſemen ---- tam firmiter radicem figens germinauit, ut plurimis ex Iudaeis hac tumultuoſa ſeditione necatis multi ſub PRINCIPIS ROMANORVM alas tuitionis cauſſa confugerent**. Vnde factum eſt* (*anno nimirum* cIↄ cxxxxvi, *quo Conradus III regnabat*), *ut non pauci ex ipſis huiusmodi immanitatem fugientes in oppido PRINCIPIS, quod Noricum ſeu Norenberg appella-*

* conf. Nordgauiſche Alterthümer II Theil pag. 425.

** Sic etiam A. M CC XXVIII, *ceu Henricus Stero in Chronico Altahenſi Tom. I Freheri pag. 579 nouae edit. teſtatur,* adeo ualida fuit Iudaeorum perſecutio, quod etiam caſtrum regale in Nurenberck, caſtrum prope Nouum Forum etc. expugnata ſint.

pellatur, aliisque municipiis eius ad conſeruandam uitam ſe reciperent, ſi haec uerba OTTONIS, inquam, rite legitimeque penſitentur: quis non luce meridiana clarius uidet, ſub *Principe Romanorum* non poſſe intelligi Fridericum Sueuiae Ducem, qui tunc temporis Caeſar non fuit patremque adhuc uiuum habuit atque adeo tunc temporis ne Dux quidem Sueuiae fuit, ſed Conradum Imperatorem, ut ex antecedentibus et conſequentibus OTTONIS dicti uerbis, quibus nullam prorſus Friderici I mentionem facit, ſatis ſuperque conſtat. Quum autem Norimberga *Principis oppidum* dicatur: non id ſtrictiſſime principalem ſeu ducalem potius ciuitatem indicat *, ſed ſecundum OTTONIS ſtilum *Princeps* frequenter *Caeſarem* et *Imperatorem* ſignificat. ubi ex *Cap. XV et XXII Libr. I de Geſtis Friderici I* patet, Lotharium modo *Regem* modo *Principem* modo *Imperatorem* dici **. Quod ad priorem OTTONIS FRISINGENSIS locum attinet, dicuntur quidem Norimbergenſes *Fridericum* et *Conradum dominos ſuos in caſtrum duxiſſe:* at ſi totam narrationis connexionem inſpicimus; non eos oppidani Norimbergenſes *tanquam dominos ſuos haereditarios* et, ut ita loquar, *territoriales* ſed *tanquam eos, qui Caeſaream affectabant dignitatem*, in caſtrum duxerunt. Dum enim *Otto Friſingenſis* expreſſe ſcribit, *Fridericum et Conradum in caſtro Norico praeſidia poſuiſſe et tanquam haereditario iure* *** (*cur uero*

* conf. C. G. Schuuarzii Epiſtola ad Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 104 et pag. 95; *ubi affirmatur, ciuitates, quae ad imperium immediate pertinuerunt, in antiquis monimentis ſaepius audire uillas regias, ciuitates regias, caſtra regalia, loca poteſtati regiae ſubiecta, oppida Principis aut aliis eius generis nominibus inſigniri.* Add. Singularia Norimbergenſia pag. 371; ubi probatur, *ſub uoce municipiorum etiam hic intelligi poſſe liberas imperii ciuitates.*

** conf. Radeuicus de Reb. Geſtis Friderici I Libr. I Cap. II: ubi Conradum dicit Romani Imperii Principem. : Alibi etiam Seniores uocantur Reges

*** Si caſtrum Noricum pro ſolo caſtello ſumendum eſt excepto oppido, uti legimus in Uffenheimiſchen Neben-Stunden VItes Stück

uero **tanquam** ?) *poſſediſſe*, item, *uidentes oppidanos laetitiam cordis* **diſſimulare** *non ualentes in uoces magnas et cantus prorupiſſe*: quis non ex iſto uocabulo *tanquam* concludit, *Duces Sueuiae minime ius haereditarium habuiſſe in caſtrum Noricum ſed tale ius haereditarium uſurpaſſe aut praetendiſſe?* Ex eo autem, *quod in aduentu Friderici et Conradi Norimbergenſes laetitiam cordis diſſimulare non ualuerunt coram Lothario caſtrum Noricum obſidente*, argumentari licet, *Norimbergenſes tanto flagraſſe amore erga Fridericum et Conradum, quos ubique bello fortes, animoſos doniſque largos fuiſſe conſtabat* *, *ut magis lubentiuſque fratrum Sueuicorum quam Lotharii partes ſequi uellent atque adeo hac occaſione, qua Sueuis fortuna arridere uidebatur, laetitiam cordis diſſimulare non ualerent.*

Porro etiam ſi attendimus, *Sueuos primum in* **caſtro** (*non in oppido*) *Norico praeſidia poſuiſſe*, **caſtrum** (*non oppidum*) *tanquam iure haereditario poſſediſſe, Lotharium Imperatorem* **caſtrum** (*non oppidum*) *obſidione clauſiſſe, tandem uero poſt diſceſſum Lotharii Duces oppidum ipſum Norimbergenſe muniuiſſe, Duces denique* (*non Norimbergenſes*) *Lotharium inſecutos fuiſſe*: uidere non obſcure poſſumus, *caſtrum Noricum* ** *fuiſſe tunc temporis in Sueuorum Du-* *cum*

pag. 582: ex Ottone ſequitur, caſtellum non oppidum iure haereditario poſſediſſe Sueuorum Duces atque adeo Burggrauios fuiſſe Sueuorum miniſtros. Sic in contrariam partem retorquetur fallacia Vſtenhemienſis. Porro etiam ſi Duces Sueuiae fuerunt Norimbergenſibus Domini territoriales et haereditarii: cur ſcribit OTTO FRISINGENSIS, Fridericum et Conradum Sueuiae Duces caſtrum Noricum poſſediſſe *tanquam* iure haereditario, non *ipſo* iure haereditario?

* conf. Otto Friſingenſis de Geſtis Friderici I Libr. I Cap. XII.

** Si caſtrum et oppidum Noricum pro uno eodemque ſumere uelimus, *conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis Norimbergae habitis pag.* 23 *num.* 11, quia tunc temporis oppidum uaſtatum iacuiſſet: dicendum eſſet, ciues Norimbergenſes in caſtro iam ante fidem ſuam Sueuis fratribus tanquam imperii aemulis obſtrinxiſſe. Conf. Hiſtor. Norim-

Digitized by Google

cum, qui ab Henrico V Imperatore adhuc uiuo rerum ſummam obtinebant * *atque eadem poſt mortem ipſius tueri uolebant; quum ergo Norimbergenſes inter Lotharium et Sueuos Duces haererent magisque tamen ad Fridericum et Conradum iam ex uirtute notos inclinarent* **, *poſt diſceſſum Lotharii ad Sueuorum Duces tanquam dominos, qui rerum potiuntur* ***, *tranſiiſſe* ****. Vt uero ex aliis Scriptoribus probemus, *Fridericum et Conradum ſub titulo iuris haereditarii*

berg. Diplomat. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 102 et 105. Singularia Norimbergenſia pag. 373 et 375. Add. Adlzreiter in Annal. Boicis P. I Libr. XX p. 549 ex editione Monachiana.

* conf. Otto Friſingenſis *in Chronico Libr. VII Cap. XV*, qui dicit: *miſerum imperium ſcinditur - - - - Hinc etiam publica bella cum magna ſanguinis effuſione tam praeſente Imperatore (Henrico V) quam in Italiam migrante rerumque ſummam ſororiis ſuis Conrado et Friderico committente peraguntur. Cap. XVI Henricus V totum regnum uectigale facere uoluit.* Add. Otto Friſing. Chronic. L. VII Cap. XXIV.

** Helmoldo L. I Chronic. Slau. c. 41 - - - ſucceſſit in ſolium regni Luderus Saxonum Dux. Indignati autem Francigenae uirum Saxonem eleuatum in regnum conati ſunt alium ſuſcitare Regem Conradum uidelicet conſobrinum Henrici Caeſaris.

*** Anonymus Leobienſis Chron. ad Ann. cIɔ cxxiii fol. 779 inter Pezii Scriptores Tom. I refert, quatuor regni optimates electos eſſe apud Maguntiam Fridericum Ducem Sueuiae, Leupoldum Marchionem Orientalis Marchiae, Carolum Comitem Flandriae, Lotharium Ducem Saxoniae. Conf. Hiſt. Diplomat. Norimberg. ad Ann. 1219 Sect. III p. 102. Chronicon Halberſtadienſe memorat, alios Electores regni Lotharium, alios Conradum elegiſſe. Conradus Vrſpergenſis ſcribit, Conradum et Fridericum inſignia imperialia tanquam adeundi faſtigii auctoramenta tenuiſſe. Conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 14.

**** Idem fecerunt Spirenſes, *conf. Otto Friſingenſis Libr. I de Geſtis Friderici I Cap. XVII.* Hoc etiam fecerunt Mediolanenſes, *conf. Otto Friſing. in Chron. L. VII cap. XVII.* Add. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 14 et C. G. Schuuarzii Epiſt. ad hanc Orat. pag. 101.

ditarii regnum affectaſſe liberasque eum in finem ciuitates occupaſſe, in medium proferre licet *Annaliſtam Saxonem* ab Eccardo publicatum; qui, quum plurima ex optimis antiquiſſimisque Scriptoribus hauſiſſet, ad A. cIↃ c xxvii ſcribit, *Lotharium aduerſus caſtrum Nurenberc expeditionem feciſſe eamque obſediſſe, ſed nil relatu dignum actum eſſe ibi, ſed ſine effectu* (*Lotharium*) *cum damno ſuorum rediiſſe, Fridericum namque Ducem Sueuorum et fratrem eius Conradum Henrici Imperatoris conſobrinos ipſo adhuc ſuperſtite uoluntatis ſuae libertate male potitos, Henrico Imperatore decedente, plurima caſtella et multa alia regii iuris ſibi uindicantes temeraria poteſtate ſub principatus ſui conditionem* i. e. regni ſui ſeu imperii conditionem ſecundum Ottonis Friſingenſis et aliorum uſitatum ſtilum *baereditario iure uſurpaſſe* *. Neque hic ſilentio praetermittendus

* Lehmann ſchreibt in ſeiner Speyeriſchen Chronick L V c. 45, nach Kaiſer Heinrich des Vten tödlichen Abgang iſt insgemein davor gehalten worden, das Kayſerthum würde auf des Kayſers nechſten Anverwandten einem Herzog zu Francken oder Herzog Friedrich aus Schwaben als tapfern berühmten Fürſten verbleiben. Add. cap. XLVII. Ad illuſtrationem citatur hic et alibi Hiſtoriae Auguſtae *Lugduni* MDXCV *impreſſae* Tom. V p. 579, ubi legimus: *Henrico V ſine uirili ſtirpe abſumto — regnum petere profeſſi ſunt ſummi ipſius Germaniae proceres, Fridericus Dux Sueuiae Conrado fratre adiuuante, Lotharius Dux Saxoniae etc. Verum poſtremorum Henricorum odio, qui bellum Eccleſiae facientes pernicioſum in Rempublicam ſeditionum exemplum intulerant, plerique Principum animos in Lotharium — uerterunt, — ipſum Regem magna animorum conſenſione declarauerunt. Quod factum cum caeteri competitores aegre tulere, tum maxime Fridericus et Conradus fratres regnum ad ſe baereditario prope iure trahentes, et quia ex Henrici ſorore nati erant et quia inſignia imperatoria apud ſe obtinebant.* Item pag. 581: *Fridericus et Conradus fratres iniquo animo ſe baereditario, ut rebantur, excluſos imperio patientes bellum Lothario compararunt. Quod poſtquam Norimbergae Lotharius, ubi natalicia celebrabat, audiuit: matura ſtatim de eo propulſando conſilia cepit.* Adhaec pag. 581: *Conradus, cedente Friderico fratre, Principibus aliquot ſuffragantibus contra Lotharium ſe regem aſſeruit —. Inſolenti inde arridentis fortunae elatus obſequio in Italiam cum exercitu maturauit atque Anſelmum Archiepiſcopum et populum Mediolanenſem amicos nactus Italici regni coronam accepit.*

dus eſt locus ille deſumtus ex *Auctore Geſtorum Ludouici Groſſi Regis, qui inter Scriptores ueteres Hiſtoriae Francorum ex Bibliotheca P. Pithoei editos reperitur*; ubi legimus, *poſt mortem Henrici Imperatoris, qui deceſſit ſine haerede legitimo, motam fuiſſe magnam contentionem in ſolenni curia, quae celebrata fuit in Ciuitate Moguntiae - - - - - talem fuiſſe cauſſam diſcordiae, quod* Fridericus *Dux Alemanniae nepos praedicti Henrici Imperatoris uolebat ſibi imperium quaſi iure haereditario uendicare.* * Aliud aſſerti noſtri de Conrado regnum affectante teſtimonium deſumi poteſt ex *Chronico Engelhuſiano*, quod *inter Leibnitii Scriptores Brunſuic. illuſtr. T. II pag.* 1098 proſtat: ubi legimus, *quum Henricus V* — nusquam compareret, --- Conradum ſequentem *quaſi regni haeredem imperium arripuiſſe et diu contra Lotharium litigando tandem Lothario praeualente, concordatum eſſe, ut ei fidelis ſit (Conradus) et ſuccedat in regno* **. Vt plura huius rei monimenta *** breuitatis cauſſa omittam ****, notari adhaec meretur, *non ſolum Norimbergam ſed et alias imperii ciuitates* ***** *praeſertimque Spiram, quae ad municipa-*

 les

* conf. C. G. Schuuarzii Lemmata Norimberg. Antiquit. §. VII.

** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis regiis Norimbergae habitis pag. 15. conf. Regeſta Chronologico - Diplomatica: ubi ad Annum 1128 Diploma Conradi Regis Rom. ſequitur; quod tamen iisdem uerbis ad annum 1138 occurrit. Add. *Not. S. in App.*

*** Huc *etiam* pertinet *Anonymi* Enarratio de *electione Lotharii* Tom. I *Script. Auſtriac. Hieron. Pezii* pag. 570; ubi legimus inter alia ſic: *Dux - - - - qui animum iam in regnum intenderat et quaſi ſpe certa praeoccupauerat, - - - paratus in Regem eligi ſed non in Regem eligere, prius explorare nolebat, quem ex omnibus Principum aſſenſus promouere pararet. - - - -* Videntes *Principes magnam Friderici Ducis ambitionem et uiolentam quaſi debitae ſibi poteſtatis exactionem, quam ante ſublimationem adeo efferri dominarique uidebant, ne quando ſibi praeficeretur, unanimiter rejellebant.* Conf. *L et S. in Append.*

**** conf. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 101 et Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 15.

***** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 15.

les Sueuorum ciuitates nunquam relata fuit, a Friderico et Conrado tanquam imperii aemulis ex affectata regni haereditate fuiſſe occupatam *. Huius autem rei ueritatem non modo *Anonymus Leobienſis* teſtatur, qui *Libr. I Chron. ad A.* cIↄ cxxııı ſuccincte ſcribit, *Chunradum et Fridericum in* **Noremberg** *et* **Spiram** *ſua praeſidia locauiſſe* ** : ſed omnium etiam maxime grauiſſimus ille Scriptor *Otto Friſingenſis* cauſſam aperit, cur a Spirenſibus recepti fuerint Conradus et Fridericus; dum expreſſe fatetur *Libr. I de Geſtis Friderici I Cap. XVII, (fratres Sueuos) Rhenum tranſiiſſe in Spirenſique ciuitate, cuius populus eos ob fidelitatem Imperatorum, qui ibidem humati ſunt (Henricus nempe V eiusque pater, auus, proauus, conf.* OTTO FRISING. *L. VII Chron. Cap. XVI) tanquam eiusdem ſanguinis conſortes (cognatos et regni haeredes) deuote ſuſceperat, praeſidia collocaſſe.* Rationibus igitur bene legitimeque ſupputatis uidemus, *Fridericum et Conradum a Norimbergenſibus fuiſſe receptos non tanquam dominos, qui ius haberent gentilitiae haereditatis in caſtrum oppidumque Noricum ſed tanquam dominos, qui Germanicum ſibi* uin-

* Annaliſta *Saxo I. G. Eccardi* Corp. Hiſt. T. I pag. 656 ſcribit : *Fridericus Dux Sueuorum et frater eius Conradus - - - - - Henrico Imperatore decedente plurima caſtella et multa alia regii iuris ſibi uindicantes temeraria poteſtate ſub principatus ſui conditionem haereditario iure uſurpauerunt.*

** conf. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 101. Hiſtoriae Auguſtae Tom. V pag. 584 legitur : *Lotharius Spiram, quae Conradi praeſidio tenebatur, obſidione circumdedit atque ad dandos fidei obſides oppugnando adegit.* Item pag. 592 : *Erat tum in Germania Conradus ex Italia nuper poſt uarios excitatos tumultus reuerſus. Is licet magna pecuniae rerumque omnium difficultate oppreſſus, tamen partium ſtudio multos adhuc cauſſae ſuae ſtudioſos habebat.* Adhaec pag. 595 : *Conradus poſtquam Lotharium auguſtalibus inſignibus potitum atque incolumem ex Italia reuerſum ab omnibus celebrari — animaduertit, titulo regio depoſito gratiam Lotharii exorauit.* Huc etiam referri poſſunt, quae *de ſtatu Conradi in Italia uerſantis* excerpta leguntur *Not. O et R in Appendice.*

uindicarent imperium liberasque ciuitates occuparent *. Ita quidem mea opinione labefactatum aut penitus ſubuerſum eſt argumentum, quod ex OTTONE FRISINGENSI contra libertatem et immunitatem Ciuitatis Norimbergenſis partim per cuniculos partim per uim apertam Auctor Memorab. Nordgau. parabat et ſtruebat. Iam uero ſi pergemus et alterum, quod ex *Aeneae Siluii* teſtimonio machinatus eſt, argumentum paullisper excutiemus: nihil in eo, quod non ſumma ui aliam in mentem detortum magis quam rite applicatum ſit, deprehendemus. Sic autem ſcribit *Aeneas Siluius in Hiſtor. Friderici III Imperat. ex Boecleri Vol. Rer. German.* pag. 14. *Noricum oppidum, cui hodie Norimberg eſt nomen, diues opum et populo plenum, in poteſtate Friderici fratrisque fuit. Hoc Lotharius magnis copiis circumdedit uaſtatisque ferro et igne uicinis agris quum armis expugnare non poſſet, firmata obſidione oppidanos fame ad deditionem cogere ſtatuit. Fuit in eius exercitu Henricus Baioariae Dux, Vlricus Bohemorum Princeps multique praeterea Comites et Optimates regni. At quum Bohemiae Ducem magna barbarorum manus ſecuta fuiſſet, Chriſtianae religionis ignara, quae ſacroſanctas incendens eccleſias, ipſas etiam Sanctorum reliquias conculcaret: Bohemorum auxilia remiſſa ſunt* **. *Id quum accepiſſent Fridericus et Conradus fratres ſcripto mox milite*

B 2 com-

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 372 - 377. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1219 Sect. III pag. 100 - 106. C. G Schuuarzii Epiſtola ad Waldſtromeri Orat. de Curiis regiis Norimbergae pag. 100 et Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 12. Quid de hac re ſenſerit Pfeffingerus in Vitriario illuſtrato, conf. Tom. II pag. 814. Huc etiam pertinet Sagittarius in Hiſtoria antiqua Norimbergae Cap. IV. C. G. Schuuarzii Lemmata Antiquitatum Norimberg. §. VII. Hahn in Hiſtoria Imperii Romani III Part. pag. 181, qui uerba haec ex Chronographo Saxone excerpſit; *Cunradus, frater Friderici Ducis Suauorum regium nomen machinantibus quibusdam Principibus tyrannice ſibi impoſuit.*

** Auctor Mem. Nordg. haec uerba, *fuit in eius exercitu — remiſſa ſunt*, non appoſuit; ſed cur? o fallaciam!

commotisque per litteras Norimbergenſibus, Lothario nihil tale timente opem obſeſſis laturi ciuibus feſtino curſu ſe conferunt datoque ſigno hinc ipſi, inde Norimbergenſes erumpentes caſtra hoſtium inuadunt, quibus breuiter direptis fugientem Imperatorem ad Herbipolim usque conſecuti pro moenibus urbis non parua certamina cum Lotharianis commiſerunt, deinde transmiſſo Rheno in urbe Spirenſi amice recepti ſunt (non Lothariani, ut Aduerſarius putat, ſed Duces Sueuiae Fridericus et Conradus). Ordine igitur ut deducta ex his uerbis argumenta confutemus, primum quidem, etſi nobis non neceſſe ſit ad iſtius Scriptoris tanquam recentioris et Italici et errantis auctoritatem prouocare, lubenter tamen fatemur ultroque largimur, *Aeneae Syluio* tanquam Scriptori, ut Auctor Mem. Nordg. l. c. uult, experientiſſimo uerſatiſſimoque talem fidem haberi poſſe ac debere, qualem ipſi Auctor Mem. cenſorio nomine tributam uoluit; deinde uero, ſi uerba ipſa laudati Scriptoris euoluimus et interpretamur, ſtatim mecum omnes, qui non praeiudiciis laborant, ex interpretatione genuina Latinique Sermonis uſu uidebunt, *uerba haec*, ***Noricum oppidum in poteſtate Friderici fratrisque fuit***, *nunquam ita ſtricte anguſteque explicari poſſe de iure aut poteſtate municipali, ſed late uereque ſignificare poteſtatem, cui alter ſeſe uel ultro uel armis coactus ſubiicit.* Tali modo fuerunt quidem Norimbergenſes in poteſtate Sueuorum fratrum ſed ita, ut eos haberent et acciperent pro imperii haeredibus aut aemulis, quorum alterutri, qui rerum potiretur, prae Lothario nondum ab omnibus recepto * ad exemplum aliorum fidem ſuam obſtringerent interimque tanquam dominos ſuos ſalutarent. Atque adeo hic idem uerborum ſenſus eſt, quem OTTO FRISINGENSIS *Libr. I de Geſt. Friderici I cap. XVI et XVII* expreſſit; ſi ſcribit, *Sueuos Duces*

* *Anonymus Saxo* refert ita Tom. I *Io. B. Menkenii* Script. Rer. German. pag. 104: *poſt mortem Henrici V orta eſt in imperio grauis diſſenſio, quia quaedam pars Principum Ducem Luderum de Saxonia elegit, altera uero pars in Conradum fratrem Ducis Friderici de Sueuia conſenſit.*

caſtrum Noricum tanquam haereditario iure poſſediſſe ſuoque praeſidio firmaſſe illincque etiam ab oppidanis tanquam Dominos ſuos in caſtrum deductos fuiſſe. Porro etiamſi Aduerſarius uerba iſta, *uaſtatis ferro et igne uicinis agris*, ſic interpretatur, ut dicat, *iuſſu Lotharii uaſtatos eſſe agros uicinos* *, atque inde concludit, *agrum Norimbergenſem non fuiſſe ditionem imperii ſed municipalem Sueuiae* (*alias* enim *Lotharius Imperator non uaſtaſſet ſua*) **: uix a me impetrare poſſum, quin credam, Aduerſarium *ex induſtria neſcire uoluiſſe, quam ſaepe neceſſitas belli cogat homines ſua ſibi perdere, ne hoſti occaſionem praebeant belli ducendi.* Fieri ergo potuiſſet, ut Lotharius agrum Norimbergenſem, ut ut ditio imperii fuerit, uaſtaret, ne Fridericus et Conradus bellum ſuſtentare poſſent. Sed alia et quidem grauior cauſſa eſt in promtu mihi, ex qua demonſtrabo, ditionem hanc fuiſſe imperii. Quum enim Lotharius Noricum caſtrum obſideret: ſecum habebat Henricum Baioariorum Ducem et Ducem Boemorum ***, referente Aenea Siluio, immo *teſte OTTONE FRISINGENSI Libr. I de Geſt. Friderici I Cap. XVI;* Dux autem Boemorum, *ſic pergit Auctor*, eo, quod barbari, qui cum ipſo uenerant, nec DEVM timentes nec hominem reuerentes omnia uicina depopulando nec etiam Eccleſiis parcerent, a Principe poſt aliquod tempus redire permiſſus eſt. Annon inde tuto concludendum eſt, *ditionem hanc fuiſſe imperialem:* quia Lotharius maluit exercitum debilitare quam ulterius concedere, ut ager Norimbergenſis

* Per uicinos agros non exigua modo tunc temporis portio agri Norimbergenſis, ſed maior etiam terrarum pars, intelligenda eſt.

** Ex hoc argumento, ſi recordamur temporum quorundam triſtiſſimorum, in quibus omnia circa Norimbergam uaſtabantur, recte concludimus, eum, qui tunc uaſtauit agrum Norimbergenſem, non fuiſſe dominum territorialem. Alias enim non uaſtaſſet ſua.

*** Vides, cur Auctor M. Nordg. omiſerit uerba haec Aeneae Siluii iam citata?

ſis uaſtaretur * ? Tota igitur huius argumenti uis, quae ab aduerſario noſtro fraudulenter contra nos intendebatur, pro nobis euenit noſtramque in partem redundauit. Quod ſupereſt, ex **Aeneae Siluii** uerbis, quae hic ſequuntur, *dato ſigno hinc Duces Sueuorum, inde Norimbergenſes, erumpentes caſtra hoſtium inuadunt, quibus breuiter direptis fugientem Imperatorem ad Herbipolim usque conſecuti pro moenibus urbis non parua certamina cum Lotharianis commiſerunt*, ex his uerbis, inquam, concludit Auctor Mem. Nordg. *Norimbergenſes non fuiſſe ciues imperii; quia ſummis digni fuiſſent poenis, ſi Caeſarem ſuum Lotharium hoſtiliter eſſent proſecuti apertoque Marte ſaepius cum ipſius exercitu conflictati.* Verum enim uero ſi rite ſenſum horum uerborum indagamus et cum **Ottonis Friſingenſis** uerbis iam citatis conferimus: mire ſane inter ſe conſpirant, ita, ut uel tantum non credam, *Aeneam Siluium ex Ottone Friſingenſi mutatis phraſibus omnia aut ſaltim plurima in hac re commodaſſe.* Sic autem mea quidem opinione uerba Aeneae Siluii cum Ottone comparata transferri poſſunt: *Noricum oppidum --- in poteſtate Friderici fratrisque fuit (in Norico caſtro Fridericus et Conradus praeſidia poſuerant idque tanquam iure haereditario poſſidebant*, **non ut domini territoriales ſed ut domini affectantes imperium.**) *Hoc Lotharius magnis copiis circumdedit (hoc Lotharius adiuncto ſibi Boemorum Duce Vlrico et Baioario-*

rum

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 373 nota a: ubi legimus ex Chronico S. Petri Erfurtenſi Tom. III Menken. Script. Rerum German. ad Ann. 1127 fol. 210. *Lotharius habens ſecum in auxilium Ducem Boemorum cum grandi exercitu Boemorum; deuaſtata itaque omni circumquaque regione per tres menſes dux praedictus cum ſuis ad propria reuertitur moxque Rex a Conrado fugatur.* Item conf. *Chronici Pegauienſis* Collationes T. III *Script. Rer. Germ.* I. B. Menkenii pag 131. Add. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1219 Sect. III pag. 104. Add. Adlzreitter in Annal. Boicis P. I L. XX pag. 549 ex editione Monachiana A. MDCLXII.

Digitized by Google

rum Henrico obſidione cinxit) uaſtatisque ferro et igne uicinis agris, quum armis expugnare non poſſet, firmata obſidione oppidanos fame ad deditionem cogere ſtatuit. Fuit in eius exercitu Henricus Baioariae Dux, Vlricus Bohemorum Princeps multique praeterea Comites et Optimates regni. At quum Bohemiae Ducem magna barbarorum manus ſecuta eſſet Chriſtianae religionis ignara, quae ſacroſanctas incendens eccleſias, ipſas etiam Sanctorum reliquias conculcaret: Bohemorum auxilia remiſſa ſunt. (Dux autem Boemorum eo, quod barbari, qui cum ipſo uenerant, nec Deum timentes nec hominem reuerentes, omnia uicina depopulando nec etiam Eccleſiis parcerent, a Principe poſt aliquod tempus redire permiſſus eſt). Id quum accepiſſent Fridericus et Conradus fratres ſcripto mox milite commotisque per litteras Norimbergenſibus, Lothario nihil tale timente, opem obſeſſis laturi ciuibus feſtino curſu ſe conferunt (itaque Fridericus Dux fraterque ſuus Conradus militem colligunt ac data oppidanis die ac ſigno ipſi quadam die cum militia ſua caſtro appropinquant) datoque ſigno hinc ipſi, inde Norimbergenſes, erumpentes caſtra hoſtium inuadunt, quibus breuiter direptis fugientem Imperatorem ad Herbipolim usque conſecuti (Fridericus nimirum et Conradus fratres cum ſuis) pro moenibus urbis non parua certamina cum Lotharianis commiſerunt (quod uidentes oppidani laetitiam cordis diſſimulare non ualentes in uoces magnas et cantus prorumpunt. Princeps tutius iudicans alio in tempore praefatum caſtrum obſidione cingere quam infidae fortunae fidei ſe incaute committere, obſidionem ſoluit ac per Babenberg tranſiens in ciuitatem Herbipolim ſe contulit. Oppidani cum ingenti clamore deſcendentes caſtra iam uacua irruunt et, ſi qua ibi remanſerant, diripiunt Dominosque ſuos cum magna laetitia ſuſcipientes in caſtrum ducunt. Duces oppidum ipſum uictualibus aliisque neceſſariis muniunt ſicque Regem inſequentes, illo in ciuitate manente, tyrocinium, quod uulgo nunc turniamentum dicitur, cum militibus eius extra exercendo usque ad muros ipſos progrediuntur). Facta igitur collatione uerborum abunde conſtat, *Norimbergenſes non in ipſum Lotharium impetum feciſſe, ſed in caſtra eiusdem Sociorumque belli terram Norimbergenſem uaſtantium relicta irruiſſe praedamque reliquam abſtuliſſe, porro etiam Duces Sueuorum, non autem Norimbergenſes, proſecutos eſſe.*

Lotha-

Lotharium eoſdemque Duces non pro moenibus Norimbergae, quod omnino falſum eſt, ſed pro moenibus ciuitatis Herbipolitanae certamina habuiſſe ſingularia *cum Lotharianis in morem turneamentorum.* Licet autem Friſingenſis OTTO teſtis omni exceptione maior nullum proferat uerbum de eo, quod ipſi Norimbergenſes hoſtiliter in Lotharium egerint: ſunt tamen alii, qui dicunt, *a Conrado et Friderico abactum eſſe Lotharium, qui Norimbergam obſidebat, ciuibus ſuccurrentibus* * *aut in obſidione Lotharii pertinacem fuiſſe ciuium uirtutem* **. Ponamus igitur, *Norimbergenſes omnino in Lotharium hoſtiliter egiſſe*: *nihil tamen aliud extorqueri poteſt*, quam *quod ſuccurrebant Sueuis in obſidione aut caſtrum defendebant pertinaciter*, minime autem *imputare* ipſis licet, quod *Lotharium proſecuti eſſent aut cum eodem pugnaſſent.* Neque uero *ulla alia de cauſſa* feciſſe apparet, quam *quod ad exemplum aliorum* *** *partes Friderici et Conradi iam in imperium deſtinatorum ſequi maluerunt*

---

* conf. C. G Schuuarzii Epiſt. ad Waldſtrom. Orat. de Curiis pag. 101: ubi ex Anonymi Leobienſis Chron. Libr. I ad A. cIↄ cxxiu legimus, *Regem Lotharium Noremberg obſidentem a fratribus Conrado et Friderico, ciuibus ſuccurrentibus, eſſe abactum.*

** Nordgauiſche Alterthümer II Theil pag. 428 not. e; allegatur Adlzreiter in Annal. Boicis Part. I Libr. XX p. m. 535, (ex editione Monachiana A. MDCLXII pag. 549) qui ſcribit: *ducta obſidio et bimeſtre incaſſum ob pertinacem ciuium uirtutem, quae eo usque durauit, donec Lotharius, propinquantibus Friderici et Conradi fratrum auxiliis, non auſus ſupremam experiri aleam diſceſſum deproperauit, relicta impedimentorum parte, quae Norimbergenſibus praeda fuerunt - - - - - - Lotharius, Norimberga relicta, Wirceburgum abiit: Fridericus et Conradus fratres urbem uelut in triumpho ingreſſi - annonae bellicique inſtrumenti non uulgarem apparatum - - nec ueriti Lotharium ſub ipſis moenibus (Wirceburgi) cum regio milite concurrerunt ad modum certaminis ſingularis (Duces nempe Sueui non Norimbergenſes).*

*** Sic *Spirenſes* diu multumque ſeſe oppoſuerunt *Lothario Imperatori*, ut patet ex *Anonymo Saxone* Tom. III Script. Rer. Germ. *Io. B. Menkenii* pag. 104: *Anno Domini MCXXVI Luderus Dux de Saxonia ab Auguſto LXXXIX imperium obtinuit. Huic Dux Fredericus de Sueuia cum fratre ſuo*

runt quam Lothario ſtatim adhaerere aut *neceſſitate ſeſe coactos uidebant Fratrum Sueuorum tutelam amplecti aut iam ante fallaci ſpe ac uana perſuaſione decepti fidem ſuam duobus Fratribus tanquam citra omne dubium futuris Caeſaribus uel potius alterutri eorum* lubentes uolentesque obſtrinxerunt *. Quod ad ultima *Aeneae Siluii* uerba, *Duces - - - - certamina cum Lotharianis commiſerunt, deinde tranſmiſſo Rheno in urbe Spirenſi amice recepti ſunt*, attinet, ea quidem Aduerſarius noſter de Lotharianis intelligit, *quaſi Lothariani amice recepti eſſent in urbe Spirenſi:* at huius aſſerti ratio nullo unquam modo admitti poteſt; quum non tantum legitimae interpretationi ſed ueritati etiam probatorum teſtimoniorum contrarietur. Ita enim diſtincte ſcribit OTTO FRISINGENSIS *Libr. I de Geſt. Friderici I Cap. XVII, Duces Sueuos Rhenum tranſiiſſe in Spirenſique ciuitate, cuius populus eos ob fidelitatem Imperatorum, qui ibidem humati ſunt, tanquam eiusdem ſanguinis conſortes* C *deuo-*

Conrado ſe oppoſuit, quia idem frater eius Conradus ad regnum adſpirauit. Rex autem Luderus - - - - - contra Ducem Fredericum et fratrem eius profectus eſt in Sueuiam et non multo poſt ciuitatem obtinuit Spiram. Rurſus etiam *ciuitatem Spiram, quia uiolatores fidei extiterant, obtinuit ſed et Nurenberch eodem tempore expugnauit.* Chronici Pegauienſis Collationes Tom. III Menkenii Script. Germ. pag. 131: *Anno 1128 Spira doloſe capitur a Friderico et Conrado Ducibus. Rex etiam mox eandem cum exercitu occupat. - - - Anno MCXXIX Spira a Rege Lothario per nouem menſes continuos oppugnata capitur.*

* Auctor Mem. Nordg. ex Adlzreiteri Annal. Boicis l. c. ſcribit, *Norimbergam iuraſſe Ducibus Friderico et Conrado*, ſed ut Ducibus? Non, ſed ut talibus, qui proximam imperii ſpem habebant, et iam deſignatis ad eligendum Principibus. Sic autem narrat: *bello ad eum modum improſpere confecto Boiaemus copias auxiliares Lothario iunxit, quarum eſſet uſus in Norimbergae obſidione, quae in Friderici et Conradi uerba iurarat, irata, quod eam Lotharius Henrici Boici Ducis praefecturae contributam una cum Gredinga regni beneficiariam feciſſet.* Quis non aperte uidet, Sueuorum fratribus tanquam imperii candidatis Norimbergam adhaeſiſſe? Alias enim non neceſſe habuiſſet iurare contra Lotharium, qui nullum niſi ius imperiale in Norimbergam habere potuit.

Digitized by Google

deuote ſuſceperat, praeſidia collocaſſe eaque Principem Lotharium, iuncto ſibi Alberto Moguntino, obſidione circumdata multos ibi dies conſumentem praeualere tunc non potuiſſe. Ita etiam in *Trithemii Chronico Hirſaugienſi ad A. c Iↄ xxxiii* legitur, *Lotharium imperatorem Spiram obſediſſe et longa inedia confectam tandem cepiſſe* *. Sed haec dicta ſunto de loco *Aeneae Siluii* in medium excitato, in quo ne uerbulum quidem reperitur, quod non ex interpretatione genuina cum libertate et immunitate Ciuitatis Norimbergenſis conueniat et conſpiret. Vnde igitur ſi ab Auctore Mem. Nordgou. teſtimonium *Aeneae Siluii* tam graue, tam probatum et ultra omnem dubitationis aleam poſitum habetur: quam iucundum nobis eſſe debet aliud eiusdem Scriptoris teſtimonium, in quo ipſe libertati antiquae Norimbergenſium magis fauere quam detrahere uidetur. Dum enim *Libr. de Statu Europae Cap. XXXI* ** ſcribit, *nec Baioarios nec Francones uideri uelle Norimbergenſes ſed tertium quoddam ſeparatum genus:* cur quaeſo, ſi putaſſet, ad Sueuiam aut ad Bauariam aut Franconiam per-

* conf. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Orat. Waldſtromeri pag. 101. Caeterum hic notamus, *Spiram fuiſſe ter a Lothario oppugnatam.* Sic enim ſcribit *Annaliſta Saxo* in *Io. G. Eccardi Corp. Hiſt. Med. Aeu.* Tom. I pag. 656: *Anno MCXXVIII Rex Lotharius circa Natiuitatem S. Ioannis Baptiſtae expeditionem fecit contra Conradum inuaſorem regni obſeditque eum Spirae, in qua ille ſuum praeſidium expulſo Epiſcopo collocauerat, acceptisque obſidibus cum iuramento multorum nobilium circa feſtum S. Martini diſceſſit. Anno Dominicae Incarnat. MCXXVIIII poſt Pentecoſten Rex Luiderus urbem Spirae iterum obſidione circumdat, quia fidem, quam ſuperiori anno ſpoponderant, et iuramentum, quod iurauerant, infregerunt. Anno Dom. Incarnat. MCXXX Rex natale Domini cum multa frequentia Principum circa urbem Spirae in tentoriis celebrat. Tandem Spirenſes uidentes conſtantiam Regis fame inſuper et bellis coacti ſeſe una cum urbe in deditionem Regis tradiderunt in Natali Sanctorum Innocentum.*

** conf. C. G. Schuuarzii Lemmata Antiquitatum Norimbergenſium pag. 6 §. IV: ubi praeter *Bilibaldum Pirkheimerum, Georgium Fournier* et *Aeneam Siluium* citatos legimus, *Norimbergenſem terram iam priſcis temporibus peculiare et a dictis populis diſtinctum conſtituiſſe territorium.*

pertinuiſſe Norimbergam, cur, inquam, dixiſſet, *Norimbergenſes uideri uelle genus quoddam ſeparatum*, h. e, genus quoddam hominum, quod nulli unquam ſubiectum fuiſſet territorii domino ſed ſoli Germanorum imperatori. Si ex hiſtoria prioris aut recentioris temporis ſciuiſſet aut uel ſolo audiendo cognouiſſet, Norimbergenſes olim paruiſſe Ducibus: annon hoc aperte indicare potuiſſet? Cur uero ipſe prouocauit ad teſtimonium Norimbergenſium? Annon inde concludendum eſt, famam de originaria Ciuitatis Norimbergenſis libertate perpetuam fuiſſe? Praeter iſtas iam allatas et confutatas rationes nouum deſumit Auctor Mem. Nordg. argumentum ex eo, *quod dudum iſta circa Norimbergam terra uetuſto nomine* Schuuabenſeldia * *uocata eſſet.* Sed quum tota huius nominis et regionis disquiſitio tantis inuoluta ſit rerum obſcuriorum tenebris, ut uix ullo modo in apricum deduci queat; ipſa etiam luculentiſſima huius diſtrictus explicatio nondum aduerſario teſtimonium de Norimberga municipali Sueuorum contra tantam, quantam nunc habemus, Scriptorum probatiſſimorum auctoritatem exhibere poſſit: omiſſis uerborum ambagibus totam rem ſicco pede hic locorum praeterire uolui. ** Remotis igitur remouendis uide mecum

* Item Auctor Mem. Nordg. putat, locum illum, qui intra moenia Norimbergae *mons Sueuorum* der Schwabenberg uocatur, nomen accepiſſe a Sueuia, ad quam pertinuiſſet Norimberga. Sed falſo: nam locus ille, qui ſitus eſt in antiqua foſſa murorum Norimbergenſium inde ſuum accepit nomen, quod A. MCCCCLXXXVIII textoribus e Sueuia euocatis den Schwaben-Webern ibi deſtinata fuerunt domicilia ſubterranea.

** conf. Singularia Norimbergenſia pag. 151 et Hiſtoria Diplomat. Norimbergenſis ad Ann. 1219 Sect. IV pag. 128. Quod reliquum eſt, prouocat etiam Auctor Mem. Nordg. ad *Chronicon Gottuuicenſe:* ubi *T. I L. IV pag.* 715 legimus; *Nurinberch, caſtrum, Noricum caſtrum. Caſtrum erat Henrici IV, qua Ducis Franciae, OTTO Friſing. Libr. VII Chron. Cap. VIII.* Sed in iſto loco Ottonis mentio fit de obſidione Caſtri Norici ſed non tanquam oppidi municipalis. Iam uero ſi

cum, ſi placet, ex ipſo rerum geſtarum ordine, *Ciuitatem Norimbergenſem haud unquam inter Ducatus Sueuici haereditaria et gentilitia loca, quantum licet, relatam ſed tanquam caſtrum oppidumque imperiale, ut alias terras, quae ad imperium pertinebant, ſemper Imperatoribus ceſſiſſe, qui nullo alio niſi regio et imperiali iure Norimbergam uindicare potuerunt.* Vt autem ab Henrico IV Imperatore rem exordiamur, qui Friderico Stoyphenſi bene immortaliterque de ſe merito filiam Agnetem in matrimonium collocauit Ducatumque Sueuiae largitus eſt; ſuſpicatur quidem Auctor Mem. Nordg. * Norimbergam tunc temporis Sueuiae adiectam fuiſſe aut iam olim adhaeſiſſe: ſed ſi *Ludevvigii Tom. II Reliqu. MSC. Diplomat. pag.* 176 *et* 180 euoluimus **; *Ciuitatem noſtram deprehendimus inter loca, quae regiae et imperiali poteſtati adſignatae fuerunt, iis in diplomatibus, quae Henricus IV et V Imperatores Wormatienſibus *** conceſſerunt et confirmarunt.* Annon inde ſatis abundeque patet, *Norimbergam tunc temporis nullo modo Sueuorum Ducibus ſed Caeſaribus Imperatoribusque paruiſſe* ****? Iam uero ſi Henricus V Norimbergam ſuae regiae poteſtati aſſigna-

Chronici eiusdem Gottuuicenſis pag. 496, LXXXII euoluimus, haec uerba legimus: *caſtrum Noricum - - cuius prima ſit mentio fere ſub Henrico IV Imperat. ſub quo celebre illud reddidit obſidio Henrici V - - - - - - quam ſecuta eſt altera non minus arcta obſidio Lotharii III - - - - dum caſtrum hoc ab iniuſta poſſeſſione Conradi Ducis Franciae - - - - uindicauit, a quo tempore ciuitas haec in libertate imperii perſtitit.*

* conf. Nordgauiſche Alterthümer II Theil pag. 421 n. b.

** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis Norimbergae habitis pag. 17. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1219 Sect. X pag. 321 et 322. Singularia Norimbergenſia pag. 340 et 366, 369.

*** Notamus hoc loco, Wormatienſes ex priuilegio, quod Henricus IV et V dederat, pag. 1 citato adhuc etiam noſtris temporibus liberos et immunes eſſe a telonio ſoluendo Norimbergae itemque Norimbergenſes Wormatiae.

**** conf. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 99, ubi allegatur *Epiſtola Henrici IV Imperatoris ad Ottonem Epiſcopum Bambergenſem ſcripta* ex Goldaſto T. I Conſtit. Imper.

ſignatam urbem habuit: *quo iure quaue iniuria poſt mortem Henrici V Fridericus et Conradus Sueuorum Duces ſibi Norimbergam uindicare potuerunt?* Minime igitur fratres iſti ex uero legitimoque Ducum Sueuorum ſed ex affectato imperii Germanici iure haereditario caſtra et urbes imperiales in poteſtatem ſuam redigere conabantur *. At poſtquam Fridericus et Conradus in eum compulſi fuerunt locum, ut miſſo imperii uindicandi et aſſerendi conſilio Lotharium II legitime creatum Imperatorem agnoſcere et habere cogerentur: num forſan Norimberga caeteris gentilitiarum terrarum, quae ad Ducatus Sueuici haereditatem pertinebant, locis adiecta fuit, an non potius uelut caſtrum oppidumque imperiale ceſſit Lothario Imperatori; qui, quum eſſet Dux Saxoniae, nullum aliud niſi regium et imperiale ius in Norimbergam habere potuit **? Inde uero quum ſceptra teneret Lotharius Caeſar: multi ex corrupto *Monachi Weingartenſis* loco in eam ſeducti ſunt opinionem, ut crederent, Norimbergam et Gredingam *** *Henrico Bauariae Duci* alias Superbo audienti a ſocero ſuo Lothario Imperatore beneficiaria lege traditam fuiſſe; ſed magis probabiliusque affirmare licet, *eum poſt mortem Lotharii urbem Norimbergam contra Conradi III uim et conatus*

pag. 234, *nos usque Wirzeburc uenimus cum multis militibus et adhuc plures ibidem expectamus, cupientes - - - - inimicos noſtros inuadere et caſtrum noſtrum Nurenberc, quod obſident, liberare.* Conf. in Appendice Litt. A.

* conf. C. G. Schuuarzii Epiſt. iam citata p. 100.

** conf. Dodechini Appendix ad Scoti Chron. ad A. clↄ cxxx, *caſtrum Norimbergenſe Regi (Lothario) traditur.* Chronicon Riddageshuſanum, quod extat inter Leibnitii Scriptores rerum Brunſuicenſ. T. II pag. 77 ſcribit ad Ann. clↄ cxxxii, *Nuremberg imperio ſubiicitur* h. e. *reſtituitur imperio.* Conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 12 et 16. Hiſtoria Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 104, 105. Singul. Norimbergenſ. pag. 374 not. m.

*** Gredinga olim pertinebat ad caſtrum imperiale. Conf. Briefliche Urkunden in den Grauaminibus der Stadt Nürnberg contra Herrn Marggraffen A, 1585 pag. 10.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

tus occupaſſe ibidemque inſignia regni cuſtodiiſſe *. At poſtquam Conradus III plurimorum ſuffragiorum auctoritate conſtitutus con-

* Monachus Altorfenſis ſiue Weingartenſis *in Hiſtoria de Guelfis Principibus* apud Caniſium Lect. Antiqu. T. I pag. 190 ita ſcribit: *ipſe Dux Henricus ad Imperatorem Lotharium reuerſus Ducatum Saxoniae, Nurenberch, Gredingen et omnia beneficia, quae Imperator ab Epiſcopis et Abbatibus habuit, ſuſcepit.* Notauit iam Leibnitius T. I Scriptor. rerum Brunſuic. p. 786, *hunc locum*, qui pro *Nurenberg*, *Gredingen* ſubſtitui poſſe arbitratur *Nienberg*, *Gotingen.* Auctor Chronici Gottuuicenſis pro *Nurenberc* ſubſtituit *Nortenberch* caſtrum Ducum Saxoniae in tabulis diuiſionis inter Henricum et Ottonem IV Imperatorem, T. I Libr. IV Chron. Gottuuic. pag. 497. Sed facilius res expediri poteſt ex loco *Conradi Abbat. Vrſpergenſis* in Chron. p. 276, ubi legimus: *Henricus - - - uenit ad Imperatorem Lotharium ſocerum ſuum apud* Ciuitatem Nurenberg *et ibidem Ducatum Saxoniae et omnia beneficia, quae Imperator ab Epiſcopis et Abbatibus habuit in beneficio, ſuſcepit et ibidem pollicetur eidem Imperatori auxilium contra praefatum Fridericum et Conradum fratrem eius.* Add. Viti Arenpekii Chron Boiar. apud Leibnitium T. III p. 662. ubi uerba ſic ſonant; *Hainricus uenit ad Imperatorem Lotharium Socerum ſuum apud Ciuitatem Nuremberg et* ibi *Ducatum Saxoniae - - - - ſuſcepit.* Forſan igitur Monachi Weingartenſis uerba ſic eſſent transferenda: *Dux Henricus ad Imperatorem Lotharium reuerſus Nurenberg (ad Nurenberg ſeu ante Nurenberg), Ducatum Saxoniae, Gredingen et omnia beneficia, quae Imperator ab Epiſcopis et Abbatibus habuit, ſuſcepit.* Conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 17. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Waldſtromeri Orat. pag. 102. Hiſtoria Norimbergenſis Diplomat. Ann. 1219 Sect. III pag. 100, 101. Sagittarius in Hiſtoria antiqua Norimbergae Cap. IV §. 2. Patet ergo, *Henricum non tam beneficii nomine tenuiſſe Norimbergam quam ex regni affectati cupiditate eam occupaſſe.* Vnde etiam Conradus III Henricum non prius in gratiam recipere uoluit, quam ea, quae iniuſte occupauit, reddidiſſet. Conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 18, 19. Hiſtor. Diplomat. Norimbergenſ. Ann. 1219 Sect. III pag. 105, Caeterum *Auentinus* ſcribit *L. VI Annal. Boior. cap. III* §. 40 *p.* 626. Norimbergae tunc inſignia imperii fuiſſe, *Waldſtomeri Orat. cit. pag.* 19. Sed tamen Adlzreitter dedit Annal. Boic. P. I L. XX p. 549, *Norimbergam iuraſſe in Friderici et Conradi uerba, iratam, quod eam Lotharius Henrici Boici Ducis praefecturae contributam una cum Gredinga regni beneficiariam feciſſet.*

confirmatusque eſt in imperio Germanico Ciuitatem Norimbergenſem graui obſidione captam et expugnatam uiolentis Henrici Superbi manibus ademit ſibique et imperio, non autem gentilitiis haereditariisque Sueuorum bonis aſſeruit et uindicauit. * Vt uero ſententiam noſtram teſtimoniis locupletemus, prodire uolumus *Gobelini Perſonae* uerba, quae *in Coſmodrom Aet. VI Cap. LIX* leguntur ita: *contra Conradum III oppoſuit ſe Henricus Dux Bauariae intendens regnum obtinere, quem ipſe obſedit in caſtro Nuerenberch, caſtrum cepit et Ducem priuauit ducatumque contulit Alberto Marchioni de Brunſuick.* Sic *Auentinus* ſcribit *Libr. VI Annal. Boior. cap. III* §. 40, *Conradum Norimbergam, ubi inſignia imperii fuerant, obſediſſe atque ad deditionem coegiſſe.* Idem tradit *in Annal. German. Libr. VI, p.* 448, *Conradum uoluiſſe, ut ab Henrico Bauariae Duce regno Norimberga reſtituatur* **. Neque etiam ſilentio praeterire poſſum *Meiſterlinum* noſtrum, qui *in Chronico ſuo Norimbergenſi Tom. IIX Reliqu. MSC. Diplom. Ludewigii pag.* 48 ex Libris *Euſebii* per Noricorum fines diſperſis citat, *Godefredum Praefectum caſtri Norici Conrado Imperatori reconciliatum oppidum Neurobergae egregium a regno iniuſte ſubtractum iuſte reſtituiſſe et ſponte inclinatum gratiam per hoc eius promeruiſſe* ***.

Nusquam ergo legitur, Henrico Superbo proſcripto, *Norimbergam aut datam et conceſſam fuiſſe Leopoldo Iuniori Auſtriae Marchioni, cui tamen teſte* OTTONE FRISINGENSI *Chron. Libr. VII cap. XXIII et XXV totus Baioariae Ducatus armis expugnan-*

* *Anonymus Saxo* Tom. III *Merkenii* Script. Rer. German. pag. 106 ſcribit: *Anno gratiae MCXXXVIII Conradus de Sueuia LXXXX ab Auguſto imperium obtinuit et XIIII annis regnauit. Hic caſtrum Nurenberch, ubi Dux Henricus imperialia clauſerat, uallauit et obtinuit ac inde inſignia imperii absque ſponte Ducis abſtraxit.*

** conf. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1219 Sect. III p. 105 et 106. Singularia Norimbergenſia pag. 378 et Sagittarius in Hiſtoria antiqua Norimbergae Cap. IV §. IV.

*** conf. Hiſt. Diplom. Norimb. l. c. p. 108. Singularia Norimb. p. 381.

Digitized by Google

pugnandus relinquebatur, *aut ad Sueuiae Ducatum tranſiiſſe*, *qui tunc temporis teſte eodem* OTTONE FRISINGENSI **Libr. I de Geſt. Friderici Cap. X et XII et XIX** *non ad Conradum III Imperatorem* * *ſed ad Fridericum natu maiorem fratrem illoque defuncto*, **ceu teſtatur** OTTO FRISINGENSIS **Libr. I de Geſtis Friderici I Cap. XXXIX** *itemque* **OTTO de S. Blaſio Chron. Cap. II** *ad Fridericum filium pertinebat.* Liquet ergo, *Norimbergam a Conrado III non tanquam Sueuorum Duce ſed tanquam Imperatore uindicatam et poſſeſſam fuiſſe.* Iam uero ſi Conradus Imperator Norimbergam non ex iure haereditatis Sueuicae tenebat neque etiam ad filium ſuum Fridericum Ducem de Rotenburgo** ratione Ducatus Franconiae, quam poſſedit Conradus, ut caetera bonorum gentilitiorum et priuatorum genera transtulit ſed potius ſucceſſori ſuo Friderico I, qui Caeſar factus eſt, reliquit *** : annon ſole meridiano clarius apparet, Norimbergam Friderico I non tanquam Duci Sueuo locum municipalem ſed tanquam Imperatori ciuitatem imperialem ceſſiſſe? Neque etiam Fridericus ipſe gentilitiis et haereditariis bonis ſed locis regiis imperialibus.

---

* Conradus Imperator fuit quidem ex gente Sueuorum natus; at tamen non poſſedit Sueuiam ſed ab Henrico V accepit Ducatum Orientalis Franciae ſeu Ducatum Franciae, uti *Conradus Vrſpergenſis* pag. 258 et 274 Chronici teſtatur. Vnde falſum eſſe putat *Habnius in Hiſtoria Imperii Germanici* Tom. III cap. V pag. 207 not. l; ſi quis Conradum dicat Sueuiae Ducem ac Poſſeſſorem. Add. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 103.

** Hahnius in Hiſtoria Imperii Germanici III Tom. Cap. V pag. 232 allegat Scriptores, qui de Friderico Conradi filio ita narranr: *Fridericus Dux de Rotenburgo, qui Regis Conradi, patrui Imperatoris Friderici, fuit filius, erat pro aetate fortis, iuſtitiae cupidus, bene compoſitus, graſſus et ſpiſſus, albus, pulcher atque formoſus, bilaris, iucundus, capillis quaſi albis et nigris.*

*** Sic Otto Friſingenſis de Geſtis Friderici I Imp. Cap. LXIII p. 446. *Conradus - - - - regalia Duci Friderico cum unico ſuo item Friderico commendans* etc. Conf. Hahn l. c. pag. 232.

busque Ciuitatem Norimbergenſem accenſuit et annumerauit. Quum enim Anno cIↃ cLXVII, teſte OTTONE de S. Blaſio *Cap. XXI Chronici pag.* 207 haereditarias terras inter liberos ſuos diuideret aut, *ut OTTO ipſe loquitur*, filios ſuos per ſortitas prouincias delegaliter ſublimaret: *Friderico, qui ſecundus natu erat filiorum, Ducatu Sueuiae cum haereditate Welfonis et praediis Rudolphi Comitis de Phullendorf conceſſo, Cunrado uero dignitatibus, beneficiis et praediis Friderici Ducis de Rotinburch ditato, Ottone Archiſolio Arelatenſi cum Burgundia Reinaldi aui ſui terra ſublimato, Henricum, qui prior natu erat, Regem poſt ſe deſignauit, Philippo adhuc infantulo praeter haec omnia res Eccleſiarum ab Epiſcopis uel Abbatibus ſibi conceſſas uendicans ſub iure hominii conceſſit* *. Nihil ergo de Norimberga inuenitur ac deprehenditur, quod ab imperii poteſtate immediata ſeorſim disiuncta Principi cuidam ac Domino haereditatis nomine ac iuris municipalis nexu aut titulo fuiſſet attributa. Concludendum eſt igitur, *Fridericum I Imperatorem ſibi Germanoque imperio reſeruaſſe Norimbergam eamque cum faſcibus ſceptroque ad filium natu maximum Regem poſt ſe deſignatum Henricum transmiſiſſe.* Vnde etiam quum Fridericus ciuitatem Norimbergenſem non ex iure patrio haereditatis Sueuicae ſed ex imperii poſſeſſione acceperit eamque ſucceſſori ſuo in imperii dignitate tradiderit: nulla utique ratione uerba iſta,

D qui-

* Sic autem ſeſe habent uerba *Ottonis de S. Blaſio* in Collectione Vrſtiſiana pag. 207: *Anno Dom. Incarnat. MCLXVII Fridericus Imperator totam terram et uniuerſam ſubſtantiam Friderici de Rotinburch ditiſſimi, fidelis in poſſeſſione praediorum Principis, fratruelis ſui haereditaria poſſeſſione poſſedit ac multorum Baronum poſſeſſiones poſtmodum in ſuam poteſtatem contraxit. - - - - Friderico, qui ſecundus natu erat filiorum, ducatu Sueuiae cum haereditate Welfonis et praediis Rudolphi Comitis de Phullendorf conceſſo, Cunrado uero dignitatibus, beneficiis et praediis Friderici Ducis de Rotinburch ditato, Ottone archiſolio Arelatenſi cum Burgundia Reinaldi aui ſui terra ſublimato, Henricum, qui prior natu erat, Regem poſt ſe deſignauit. Philippo adhuc infantulo praeter haec omnia res eccleſiarum ab epiſcopis et abbatibus ſibi conceſſas uendicans ſub iure hominii.*

quibus Fridericus *caſtrum Noricum ſuum* uocat *, in eum ſenſum detorqueri poſſunt, quaſi *caſtrum Noricum* reſpectu Sueuiae *ſuum* dixiſſet; quum id potius ſuum ex regia imperatoriaque maieſtate nominaſſet. Tali etiam modo *caſtrum Noricum* ſemel iterumque *regium* et *imperiale* dictum fuiſſe a uetuſtis et antiquis Scriptoribus, quis unquam dubitet ** : quum alias potius, ſi uerum fuiſſet, *Ducalem Sueuiae ciuitatem appellare* aut ſaltim eiusmodi uerbis explicare mentem ſuam potuiſſent; de quo tamen magnum ubique in Scriptorum libris ſilentium obſeruatur *** ?

Iam

* Verba haec, *in caſtro noſtro Norimberg*, leguntur in litteris pacis a Friderico I publicatis, quas nobis ſeruauit *Abbas Vrſpergenſis.* conf. *Waldſtromeri* Orat. de Curiis pag. 30. Singularia Norimbergenſ. p. 441. Hiſtor. Diplomat. Norimbergenſ. Ann. 1219 Sect. III pag. 112. Add. *Henricus de Bunau* in uita Friderici I. Hahnius in Hiſtoria Imperii German. III Part. pag. 316. Pfeffingerus in Vitriario illuſtrato Tom. I pag. 142. Add. Corpus Iuris poſt Conſtitutiones Feudales, cui hoc edictum Friderici I de incendiariis annexum eſt.

** Sic in *diplomate, quod Henricus IV et V Wormatienſibus concesſerunt, ciuitas Norimbergenſis inter loca regiae et imperiali poteſtati aſſignata* recenſetur, conf. *Ludeuuigii Tom. II Reliqu. MSC. Diplomat.* pag. 176 et 180. Ita etiam *Annaliſta Saxo* in *Eccardi Corp. Hiſt.* Tom. I pag. 656 *caſtrum Nurimberch*, quod *Conradus* occupauit, *inter caſtella et loca regii iuris* refert.

*** Caſtrum Noricum diſerte *caſtrum imperiale* uocatur *ab auctore uetuſto et coaeuo Chronici Auſtriaci a Pezio euulgati T. I Scriptor. Auſtriac. p. 566 ad Ann. CIↃ C LXXXIX.* Ad Ann. cIↃ cc xcviii *caſtrum regale Nurnberg* appellatur in *Eberhardi Annalibus apud Caniſium Tom I Lect. Antiqu. p.* 336. Item in *Steronis Chronico Altabenſi* ad A. MCCXCVIII *Tom. I Scriptor. Freheri pag.* 402 *ex editione Francofurt. MDC* et pag. 579 nouae editionis. Neque minus in *antiquo Chronico Salisburgenſi, quod Pezius edidit, T. I Rer. Auſtr. pag.* 396. Conf. C. G. *Schuuarzii* Antiquitat. Norimbergenſ. Lemmata pag. 4. Recte etiam meminit *Cl. Schuuarzius* in *Lemmat. Antiquit. Norimbergenſ.* §. 3, Caeſares omni occaſione inter ea, quae ad imperium, et ea, quae ad gentilitiam haereditatem pertinebant, bene accurateque diſtinxiſſe; id quod luculentis ibidem teſtimoniis probatur.

Digitized by Google

Iam uero ſi poſt Friderici I tempora progrediemur: nullo alio iure quam ciuitatis imperialis nomine *paruiſſe* deprehendemus *immediate Norimbergam* **Henrico VI** *caeteriſque Imperatoribus ex Sueuorum gente natis;* quum nullum in contrariam adhuc partem ex auctore certae exploratae que fidei teſtimonium afferri et euolui potuiſſe conſtet.

Ita quidem ciuitas Norimbergenſis, ut opinor, ſatis abundeque uindicata eſt ab iniuriis hominum maleuolorum, qui libertatem ipſi a priſcis temporibus propriam quaſi et innatam aut detrahere aut imminutam facere conabantur: at ſi iam ſigillatim praeter ea, quae ſub *Henrico VI* * in urbe Norimbergenſi contigerunt, *Friderici II* Romanorum Imperatoris litteras Norimbergenſibus ad confirmanda et amplificanda libertatis et immunitatis iura et priuilegia A. O. R. cIↄ cc xıx conceſſas et publicatas attento oculo animoque perluſtramus; quis non gaudeat et admiretur, *ad euidentiam ſpecialis gratiae et dilectionis, quam geſſit* **Fridericus II** *ad cariſſimam ciuitatem ſuam Nuremberg, ab eodem Caeſare confirmata eſſe patriae noſtrae antiqua iura a diuis Praedeceſſoribus ſuis ac Progenitoribus* (*non Sueuiae Ducibus* **, *ſed*) *inclitis Romanorum Imperatoribus et Regibus ſemper Auguſtis*

D 2 *tra-*

* conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag, 25. Singularia Norimbergenſia pag. 459 et 463. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1219 Sect. III pag. 114. Annales Mullneriani ſub Henrico VI. Sagittarius in Hiſtoria antiqua Norimbergae Cap. V §. VIII. Meiſterlinus in Chronico Norimbergenſi pag. 56, Tom. IIX Reliqu. MSC. Diplom. Ludeuuigii.

** Auctor der Uffenheimiſchen Neben-Stunden in VIten Stück pag. 622 ex diplomate, quo *Conradus II Dux Sueuiae Conrado Stromero foreſtum in Nurenberg regendum conceſſit ſimulque mandauit, ut ſeruitia ſuae curiae debita praeſtentur*, firmiter concludit, *Norimbergam fuiſſe Conradini haereditariam et municipalem urbem.* Similiter ex diplomate quodam, ſi tamen in autographo extat, quo *Conradus II Dux Sueuiae Friderici Burggrauii in Noremberg haeredes infeudauit Burggrauiatu*, firmiter concludere licet, *Burggrauium Fridericum fuiſſe uaſallum Conradini Ducis.* conf. Gedanken von der Unmittelbarkeit der Stadt Nürnberg pag. 21.

tradita, eidem etiam ciuitati, ſi quem habere defectum uidebatur, de mera ipſum benignitate ſuppleuiſſe atque adeo pro futuris temporibus immutabiliter ſanxiſſe, ut quilibet patriae noſtrae ciuis nullum habere debeat

---

Caeterum non negandum eſt, *Conradinum multa ſibi de imperio ſub ſpe impunitatis uindicaſſe.* Conf. Hiſtoriſcher Bericht von den alten Reichs-Vogteien pag. 420. Sic ſcribit *Andr. Brunnerus* in *Annalium Boicorum* Part. III pag. 905: *Conradini mors et ampla ex eo haereditas — fratres opibus auxit, concordia ſpoliauit. Ventum ad arbitros, quos inter Grimoldus Preiſingius, Rorbachii et Sifridus Sigenhofius fuere, qui — Henrico Caſtrum Flozzium, Parchſtainam, Weidenam — attribuere. Nouoforum cum Dynaſtia Pernogonienſi, Danuuuerda — et quicquid Conradinus beneficiario iure ab Eccleſia Babenbergenſi acceperat, tutela uidelicet Herſprukenſis — Ludouico adiudicata — quaedam indiuiſa ſeruari placuit, ut Norimbergam, Langingam, Nordlingam. Tutela Auguſtenſis et ſi quae praeterea litigioſa repetendaque iudicio ſupererant, poſtquam euicta eſſent, nouae diuiſioni reſeruata, cuius tamen memoria in monimentis nulla ſupereſt. Sed neque Norimbergae quasque poſteriore loco nominaui, urbium, in Rudolphi Caeſaris litteris, quibus Conradini donationem ratam habet, ulla extat mentio, ut ſuſpicari pronum ſit, ad imperii corpus reuocatas eſſe, cuius Norimberga et Nordlinga hodie quoque particulae cenſentur.* Sed *heu! quam mutilate citarunt hunc locum* Auctor *Memorabil. Nordgau.* et *Analect.* itemque Auctor *Horarum Vſſenhemienſium!* Vnde patet, *Conradinum ad ſe traxiſſe multa feuda imperii.* Conf. Hiſtoriſcher Bericht von den alten Reichs-Vogteien pag. 420, 425. Vt uno ſaltim exemplo conſtet, quam inique Conradinus ad ſe traxerit multa de imperio, en *Richardi* Imper. Aug. edictum, quo *Ciuitas Imperialis Tigurina* ab iniqua proſcriptione eximitur et imperio aſſeritur: *Richardus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus uniuerſis Romani Imperii fidelibus gratiam ſuam et omne bonum. Sane fideli relatione peruenit ad Noſtrae Serenitatis auditum, quod Conradinus olim Conradi Regis filius, qui ſe Ducem Sueuiae nominat, ea non contentus iniuria, quod in uanum ſibi gloriam alienam uſurpat, inſuper et ciues noſtros Turicenſes in noſtro et Imperii gremio ſpeciali collocatos nec ad ducatum eundem ſed ad Imperium, prout ſtabiliuit antiquitas et modernitas adprobauit, immediate ſpectantes, tanquam ſubeſſent memorato ducatui, proſcriptionis de facto (quum nullo penitus iure poſſet) ſententiam promulgauit. Nos cautelam eisdem ciuibus (ne aliquid in ſimplicium oculis eos infamiae nubilum decoleret) praedictam proſcriptionis ſententiam, utpote omni robore uacuam, authoritate Regia ex plenitudine*

*debeat aduocatum praeterquam Romanos Reges et Imperatores** ? Quum igitur ex citatis priuilegii Fridericiani uerbis in aprico ſit, *patriam noſtram ab antiquo non ut oppidum municipale Ducibus Sueuorum ſed ut ciuitatem liberam et immunem Caeſaribus Germanis paruiſſe neque etiam in futurum tempus haeredibus Sueuicis ſed Imperatoribus Romanis, cuiuscunque gentis fuerint, commendatam fuiſſe: quis eſt, cui adhuc in mentem uenire poſſit, Fridericum II in Norimbergam ſibi ius gentilitiae haereditatis confirmare uoluiſſe.* Neque uero tantum poſt Friderici II tempora, qui tam euidenter luculenterque Norimbergam ad regias imperialesque ciuitates retulit, *Henricus VII* Imperator non ex Sueuorum domo ſed ex gente Lucemburgenſi ortus aeque ac priores imperii Statores Moderatoresque *caſtrum Noricum* in diplomate Piſis dato *ſuum* uocauit **: ſed etiam idem Caeſar Henricus VII *** ſequentesque Imperatores ***Ludouicus Bauarus*** **** *et* ***Carolus***

 IV

---

poteſtatis noſtrae denunciamus, omnino carere uiribus et decernimus eſſe nullam. Datae Hagenoa XX die Nouembris, Indict. V Anno Domini MCCLXII, Regni noſtri VI. Conf. Leben und denkwürdige Thaten Herrn Richards erwehlten Römiſchen Kaiſers etc. in dreyen Büchern beſchrieben von Georg Chriſtian Gebauern, III Buch Urkunden pag. 387 N. XLI. Add. Ekhardus in Hiſt. Franciae Oriental. T. I p. 673. T. II, p. 62.

* conf. Oratio Waldſtromeri de Curiis pag. 41. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Orat. Waldſtromeri de Curiis pag. 106. Eiusdem Lemmata Antiquitatum Norimbergenſium §. VIII - X. Conf. omnino Hiſt. Diplomatica Norimberg. ad Ann. 1219 pag. 9. Wagenſeilius in Commentatione de Ciuitate Norimbergenſi p. 252.

** conf. C. G. Schuuarzii Epiſtol. ad Orat. Waldſtromeri de Curiis p. 108 et 113. Eiusdem Lemmata Antiquit. Norimberg. pag. 4. Add. omnino Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1313 pag. 227 et 228.

*** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 64, 65. Hiſtoria Diplomatica Norimberg. ad Ann. 1313 pag. 220.

**** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 68 etc. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1219 pag. 22 et ad Ann. 1331 pag. 275 ſqq.

Digitized by Google

IV * Fridericianum priuilegium aliaque omnia et ſingula iura, beneficia, libertates, immunitates probataſque conſuetudines ſtabilierunt et corroborarunt. Tanta igitur in luce uerſatur Ciuitatis Norimbergenſis ſemper liberae nec unquam nexu municipali obſtrictae dignitas felicitasque, ut in omnium oculos, quicunque non hebetioris animi uidentur, ſuo ſplendore penetrare ualeat: ſed tamen neſcio, quo iure quaue iniuria Auctor *Commentationis* in *Auream Bullam* ** praeter ea, quae iam ante ſecundum argumentum ab inuidia ductum in libertatem dignitatemque Norimbergae conquiſiuerat et congeſſerat, quaeque ego, quantum potui, refutare conatus ſum, licenter aſſeuerauerit, *Ludouici Bauari Imperatoris tempore ſtatum et conditionem Norimbergae adhuc tenuem et exilem municipalemque fuiſſe, ex eo, quod in litteris, quas Caeſar iſte A. cIↄ ccc xxviii Coloniae ſcriptas* *** *Friderico Burggrauio Norimbergenſi Secretario ſuo dederit, conceſſum fuerit ciuitatem munitam in Grindelacb conſtruere, aedificare, quae ciuitas Grindelacb tunc utatur et gaudeat omni iure, libertate, immunitate et gratia, quibus* ciuitas noſtra Nurenberg *(ut expreſſe edicit Imperator) hactenus uſa eſt et ex nunc denuo frui poteſt et gaudere.* Verum enim uero licet non negare poſſim nec uelim, *Grindelachio* **** *conceſſam eſſe ciuitatis munitae libertatem: nullo* tamen

---

* conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 75. Hiſtoria Diplomatica Norimberg. ad Ann. 1219 pag. 23 et ad Ann. 1347 pag. 315 ſeqq.

** conf. Erläuterung der guldenen Bulle II Theil pag. 953. Statim hic ſubiungam ea, quae *Koelerus* ſcripſit in *Hiſtoria* Wolfſteinenſi pag. 25: *friuolum agit iurium illuſtris S. R. I. liberae Reipublicae Norimbergenſis obtrectatorem Ludeuuigius.*

*** conf. C. G. Schuuarzii Epiſtola ad Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 113. Conf. Hiſt. Diplomatica Norimbergenſ. ad Ann. 1328 pag. 270. Wagenſeilius in Commentatione de Ciuitate Norimbergenſi p. 254.

**** Obiter notamus, *Grindelachium poſthaec non factum eſſe ciuitatem munitam ſed coenobium ſuamque iurisdictionem A.* 1385 *Norimbergae conceſſiſſe,* conf. Hiſt. Diplomat. ad A. 1385. Porro notamus, *ex eo, quod*

tamen argumentationis ac rationis *modo concludere fas eſt et aequum, Norimbergae ſtatum idcirco fuiſſe tenuem et exilem, quia in ipſius uicinia nouum ciuitatis aemulae genus affectetur.* Neque etiam ſoli Norimbergae contigit, ut in uicinia haberet ciuitatem ſuo exemplo muniendam et amplificandam: quum idem illud A. cIↄ ccc LVII ex alio priuilegio, quod *Carolus* IV Gerlaco Archiepiſcopo Moguntino indulſit *, Frankofurto ad Moenum accidiſſet; ſed tamen eidem ciuitati nunquam a quoquam Scriptore ſanae mentis in praeiudicium antiquae libertatis et immunitatis exprobratum fuiſſet. Nihil igitur quidquam adhuc repertum eſt et extra omnem dubitationis aleam poſitum, quod apertam libertati Ciuitatis Norimbergenſis uim inferre et intentare aut eiusdem antiquitati detrahere poſſet: quum potius eae nobis ſufficiant rationes, quae aliis euidenter luculenterque demonſtrare ualeant, *Norimbergam a primo ſuae natiuitatis ortu non Ducali cuidam poteſtati ſubiectam paruiſſe ſed imperialem immediatamque ſemper extitiſſe*, ac, ſi quando ex iniuria uſurpatorum ſubiecta fuerit alienae poteſtati, ſemper a Caeſaribus rite legitimeque conſtitutis uindicatam fuiſſe et imperio reſtitutam uiguiſſe *eamque ſubinde ex largiſſimo diuini Numinis fauore Caeſarumque indulgentiſſimorum uoluntate ita floruiſſe et creuiſſe, ut egregiis iurium bene-*

Dn. Burggrauius A. 1328 *Caeſareum exquiſiuit priuilegium de immunitate Grindlachii, non omnimodam in diſtrictu Norico habuiſſe iurisdictionem*, conf. Hiſt. Diplom. ad Ann. 1328.

* conf. C. G. Schuuarzii Epiſtola ad Orat. Waldſtromeri pag. 114. Hiſtor. Diplomat. Norimbergenſis ad Ann. 1328 pag. 270. Diploma legitur apud Lunigium T. XVI des Reichs-Arch. Sect. I pag. 54: *Carolus IV Gerlaco Archiepiſcopo et Electori Moguntino - - - indulſit, ut in circumferentiis caſtrorum, uidelicet Haſelach et Gerlachshuſen prope Munzenberg in locis, in quibus ſuae induſtriae placuerit et expedire uideretur, nec non de uillis Gerensheim et Niedernhall prope Nagelsberg ac de uilla Haſela prope Wertheim opida facere, inſtaurare et de nouo conſtruere poſſet, deberet et ualeret. - - - - - Oppidanis autem ipſorum oppidorum conceſſit iura, gratias, libertates et emunitates, quibus ciuitatis Francofurtenſis ciues uſi eſſent. - -*

beneficiorumque praerogatiuis ornata Ciuitas Norimbergenſis et mactata pleniorem libertatis uſum conſequeretur et ex conceſſa concreditaque munerum et officiorum, quae alias Regum Imperatorumque Miniſtris competebant, adminiſtratione ſummum liberarum et imperialium ciuitatum faſtigium obtineret ac tueretur *. Ita quidem, quantum in me fuit, pro uirili ex conſenſu aliorum uirorum, qui Norimbergae dignitatem bene fortiterque propugnarunt, Ciuitatis noſtrae libertatem innatam et originariam ab Henrici V Imperatoris tempore usque ad noſtram aetatem contra omnes iniurias et cauillationes defendere ſum conatus. Iam autem, ſi Ciuitatis Norimbergenſis antiquiora tempora reſpicimus, *duo adhuc occurrunt nobis ſcrupulorum et obiectionum genera, quibus patriae Ciuitatis libertas immunitasque in dubium et controuerſiam uocatur.* Vnum autem eſt, quod ex *Auentino* petitur; qui *Libr. V Cap. VIII Annalium Boi.* Lat. ex editione Ingolſtadiana A. 1554 pag. 534 ſcribit, *Caeſarem (Henricum III) perdomitis undique hoſtibus atque inimicis Reipublicae Vngaricam meditatum expeditionem Norinbergae oppido gentilitio ** concilium uniuerſae Baioariae coegiſſe ibique cum Epiſcopo Bambergenſi, Aichſtatenſi, Auguſtano totiusque Bauariae Proceribus de bello Vngarico inferendo conſultasſe* ***. Verum enim uero quum Auentinus ex eo, quod concilium

* conf. C. G. Schuuarzii Epiſtol. ad Orat. Waldſtromeri de Curiis pag. 115. Add. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis in Append. II Period. pag. 785; ubi ſingula, quae ad Ciuitatis Norimbergenſ. iura et priuilegia pertinent, uno conſpectu ſiſtuntur.

** In Auentini Chronica Germanica Libr. V fol. 332 ex editione Francofurtana Anno 1622 leguntur haec uerba: Er kam gen Nürnberg, berüffet dahin alle Stände, durch ganz Beyern aus etc. Quidni ergo concludamus, Auentinum, qui ex Latino ipſe tranſtulit in Germanicum, Chronicam teſte Henrico de Bunau Reichs-Hiſtorie T. II in indice Scriptorum, uerba haec, quia meliora edoctus fuit, omiſiſſe.

*** conf. Nordgauiſche Alterthümer II Theil pag. 419. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 10. Hiſtoria Diplomat. Norimberg. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 92. Singularia Norimbergenſia pag. 307. Sagittarius in Hiſtoria antiqua Norimbergae Cap. III §. I.

Digitized by Google

cilium uniuerſae Baioariae dicat et tamen ſimul Epiſcopum Bambergenſem *, Aichſtatenſem et Auguſtanum iam immediatos exiſtentes neque ad Bauariam pertinentes adfuiſſe ſcribat, ex eo, inquam, et ex hoc, quod *Cap. XVIII Libr. V Annal. Boi.* pag. 595 paruum oppidum **, in quo tamen iam his ante Comitiis tot Principes Ordinesque ſolenniter conuenerunt, Norimbergam appellat ***, exinde, inquam, ſibi contradicere aut ſaltim non conſtare uideatur; ipſe etiam Falkenſtenius, qui hac in re teſtimonium Auentini probat, in origine caſtri Norici deriuata credulum aut ſuſpectum habeat **** : quis nobis uitio uertet; ſi et ipſi nos Scriptoris ambigue et affectate ***** loquentis auctoritatem et fidem non admittamus eamque hoc in loco corruptam aut minus explicatam negligamus? Alterum et extremum eſt obiectionis genus ******, quo affirmatur, *Norimbergam olim ad Comitatum Babebergenſem pertinuiſſe extinctoque Alberto in fiſcum imperialem deueniſſe tandemque ab Ottone I.* E *fratri*

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 281. Pfeffiingerus in Vitriario illuſtrato Tom. I pag. 1102. Hahnius in Hiſt. Rom. Imp. II Part. Cap. VI §. X.

** In Auentini Chronica L. V fol. 360 haec uerba leguntur: Nürnberg (war damals eine kleine aber iezund eine gewaltige mächtige Reichs-Stadt.)

*** conf. Nordgauiſche Alterthümer II Theil pag. 419 not. d.

**** conf. Nordgauiſche Alterthümer II Theil pag. 412 not. *.

***** Sic Epiſcopos appellat in clericali dignitate conſtitutos Flamines, Myſtas, Archimyſtas: ſic Duces uocat procuratores et praeſides, rectores prouinciarum. Quid ſi ergo per gentilitium oppidum intelligeret oppidum antiquum aut nobile? Conf. Du Freſne Gloſſarium Tom. III Pariſ. 1733 pag. 868.

****** Poſſum hic etiam recenſere, quae temporibus Henrici II et Conradi II Norimbergenſibus contigerunt: ſed ne nimius in ambiguitate ſim, uolens lubensque tranſmitto. Conf. Singularia Norimbergenſia pag 261 et 291. Hiſt. Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1219 Sect. III pag. 92. Sect. VII pag. 189. C. G Schuuarzii Epiſtola ad Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 97 et 98. Add. Not. p in App.

Digitized by Google

fratri ſuo Henrico praeter ducatum Bauariae Bambergenſesque poſſeſſiones in feudum datam ceſſiſſe *. Sed ut hanc opinionem refutemus, primum notandum eſt, *Ducatum quidem Bauariae ab Ottone I fratri ſuo Henrico datum fuiſſe* **, *ſed Bambergam demum ab Ottone II Henrico Rixoſo Henrici Imperatoris Parenti conceſſam legi* ***. Vnde etiam, quum Bamberga usque ad hoc tempus immediate pertineret ad Imperatores neque quidquam de Norimberga referretur, concludi poteſt non ſine rationis argumento, *Norimbergam ſane iam tum fuiſſe conditionis imperialis* ****. Iam uero ſi Chronicos noſtros euoluemus: deprehendemus fere communem narrationem, qua dicunt, *Norimbergam fuiſſe in ditione Alberti ſiue, ut alii appellant, Adelberti Comitis Franconiae eoque capitis ſupplicium paſſo, quum bona eius a Ludouico IV in* fiſcum redacta eſſent, liberam et imperialem extitiſſe *****.

Vt igitur huius rei ueritatem paulliſper excutiamus, notari uel omnino meretur, *antiquis Germanici regni temporibus Duces Comitesque non inſtructos fuiſſe poteſtate territoriali ſed extitiſſe tantum Regum Imperatorumque Miniſtros et Praefectos atque ita dignitatem Ducum Comitumque non in ſe fuiſſe haereditariam gentilitiamque ſed eandem pro arbitrio Regum aliis diuerſarum gentium Optimatibus conceſſam et communicatam* ******. Eadem ratione compara-

* conf. Erläuterung der guldnen Bulle II Theil pag. 951. Nordgauiſche Alterthümer II Theil pag. 419.

** Hahnius in der Reichs-Hiſtorie II Theil pag. 49.

*** Hahnius in der Reichs-Hiſtorie II Theil pag. 209 not. c. Singul. Norimb. pag. 247.

**** conf. Singularia Norimbergenſia pag. 262.

***** conf. Wagenſeilius in Commentat. de Ciuitate Norimbergenſi p. 26. Sagittarius in Hiſtoria Antiqua Norimbergae Cap. II §. 14. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 12. Pfeffingerus in Vitriario illuſtrat. Tom. II pag. 806 et 814. Singularia Norimberg. pag. 121, 189, 247, 261. Hiſtoria Diplomat. Norimberg. ad Ann. 1219 pag. 74.

****** conf. Singul. Norimberg. pag. 133, 190, 193, 215. Pfeffingerus in Vitriario illuſtrato T. II pag. 369.

paratum fuit cum Alberti Bambergenſis praefectura, quae poſt Alberti ſupplicium ad Imperatorem tanquam legitimum regni Germanici poſſeſſorem redibat *. Deinde uero quum *Conradus* ille primus, qui poſthaec regnum Germanicum adeptus eſt, Ducatum Franconiae accepiſſet: facile fieri potuit, ut Ciuitatem ſuo Senatu gaudentem ** caſtrumque illius loci, ſi iam ante ad Comitis Bambergenſis tanquam Praefecti Regii adminiſtrationem pertinebat, ſibi ſuoque regno immediate reſeruaret ***; quo in ſtatu Ciuitas Norimbergenſis, quum poſtea ab Ottone II Imperatore Comitatus Bambergenſis Henrico Rixoſo traderetur, ſemper manſit et ad maiorem ſubinde libertatis et immunitatis uſum peruenit. Extricatis igitur omnium, quae Norimbergae libertatem implicarunt, dubiorum nodis penſum abſoluam deſtinatum primoque nunc ab ortu, quantum retro uel minima probabilitate gradi et uenire poſſum, Ciuitatis Norimbergenſis ſtatum liberum et immediatum per ordinatam Caeſarum Regumque ſeriem, quoad licet, breuiter ſummatimque deducam. Quum igitur ſatis abundeque conſtet, partem illam Siluae Herciniae, in qua Ciuitas Norimbergenſis olim ſita et exſtructa fuit, non ante cultam habitatamque ad imperii Regumque Germanicorum poteſtatem immediatam pertinuiſſe eamque ſemper imperialis Siluae nomine iamdudum

* Sic legimus in *Chronico Regionis* Lib. II pag. 100, Tom. I Script. Germ. *Collectionis Struuianae: Adalberti facultates et poſſeſſiones in fiſcum redactae ſunt et dona Regis inter nobiliores quosque diſtributa.*

** conf. Singularia Norimbergenſia pag. 167 ſeq.

*** Sic Hofmannus in Annalibus inter Scriptores Bambergenſes Ludeuuigii proſtantibus ſcribit: *Oppida Adelberti, caſtella et praedia, inter quae etiam Norimberga fuiſſe creditur, partim ad maiores eius Saxoniae Duces partim ad imperium deuoluta ſunt. - - - - - Conradus Franciae Dux - - - - - Norimbergam - - - - - poſtquam e triennio ante in Alberti Principis ditione eſſe deſierat, ad imperium adiecit.* Conf. Singular. Norimberg. pag. 189.

inclaruiſſe *: quis neget aut negare poſſit, quin *caſtrum oppidumque Noricum in denſa et inculta minusque habitata imperii Germanici Silua poſitum et ab hominibus paſſim ex neceſſitate congregatis extructum ſuo ſtatim ortu et auſpicio imperiale ab omnique priuatorum dominorum nexu municipali omnino liberum dici et haberi queat?* Porro etiam ſi uel naturalem huius urbis ac pomoeriorum ſitum regionemque perpendimus aut ipſa priſcorum Auctorum teſtimonia euoluimus et explicamus: non obſcura patebit omnibus, qui ueritatem amant, *ab ipſo ſtatim principio et ortu patriam noſtram ſuo ſane gauiſam fuiſſe territorio aut iurisdictionis loco* **; ex quo facile et aperte Ciuitatis Norimbergenſis innata et originaria libertas immunitasque diiudicari ſtatuique poſſit. Vt enim paucis uerbis de ſitu naturali mentionem faciam; in aprico et Sole meridiano eſt, *ditionem et agrum Norimbergenſium Schuuabaco, Rednitio et Schuuarzachio fluuiis tanquam limitibus a natura conſtitutis* itemque Orientem uerſus ſiluae imperialis termino *prouide ſolerterque circumſcriptum fuiſſe* ***. Ex ipſis uero Hiſtoricorum antiquiſſimorum teſtimoniis quum unum allegaſſe ſufficiat,

---

* Sic Fridericus II Siluam ad Norimbergam imperialem uocat. *Conf. Hiſtoria Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann.* 1223 *pag.* 44. Rudolphus dicit nemus ſeu foreſtum apud Nuremberg ſuum. *Conf. Hiſtor. Diplomat. Norimberg.* 1282 *pag.* 178, 181. Henricus Lucemburgicus ſiluam Norimbergenſem refert ad bona et proprietatem imperii. *Conf. Hiſtor. Diplomat. Norimberg. ad Ann.* 1309 *et* 1310 *pag.* 224. Add. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 109 et 110.

** conf. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. IV pag. 133. n. 3.

*** conf. Hiſtoria Diplomatica Norimb. ad Ann. 1219 Sect. IV p 128. Singularia Norimbergenſia von dem Nahmen des Land-Bezirkes um Nürnberg pag. 151. Meiſterlinus in Chron. Norimbergenſi pag. 15. Equidem *Ludewig* Tom. IIX Reliqu. inter alia commenta Norica hoc etiam referendum putat von den ſogenannten Nürnbergiſchen Grenz-Waſſern. Sed conſtat, *Anno* 1526 *Dom. Marchiones contra Norimbergam inſtituiſſe actionem et inter alia haec libello inſeruiſſe.* Neuſes an der Schwarzach, Limberg nechſt bey Schwabach,

ciat, qui territorium Norimbergenſe iam olim indicauit nominauitque: Scriptorem antiquum *Chronici Senonenſis* **Richerium**, qui medio ſaeculo XIII floruiſſe traditur excitatum uolumus eumque ſic narrantem Libr. IV Cap. XI inducimus, ut ſcriberet, *Friderico quondam Imperatore depulſo Innocentium Papam Regem creaſſe filium Comitis Palatii de Thuringia, qui aſſumto ſibi exercitu intraſſet territorium de Nurenberch* *. Satis ergo ſuperque conſtat, *patriam ſemper noſtram floruiſſe et manſiſſe liberam ab omnique poteſtate municipali remotam*: quum et praeterea, ſi priſcam huius urbis regendae et adminiſtrandae formam indolemque conſideramus, *non Praefecti tantum et Aduocati, Sculteti et alii, qui Caeſarum auguſtiſſimorum nomine miſſi et conſtituti ſunt, eo in loco conſediſſe memorentur* **, *ſed uel potiſſimum ciuitas ipſa ſuo gauiſa fuiſſe dicatur Senatu, qui rerum ciuilium curam gerebat et ad legum praeſcriptarum normam ſaluti ſuorum ciuium proſpiciebat et inuigilabat* ***; quumque inſuper *Norimberga dilectiſſima ſenſim ſenſimque ex Caeſarum indulgentiſſimorum gratia et fauore tantis beneficiorum generibus tantisque immunitatum commodis abundare uideatur, ut nulli non ciuitatum liberarum et imperialium palmam eripere aut ambiguam reddere credatur*. Huius autem aſſerti ueritatem locupletiſſimo omnium

E 3

Neuhof an Nürnberger-Wald etc. Ita etiam de A. 1295 in documentis legitur: *in pratis iuxta aquam Schuuarzbach etc.* Porro quum A. 1528 *Viſitationes Eccleſiarum* inſtituerentur, *eas* ſibi reſeruarunt Dom. Marchiones et uindicarunt, *quae ultra aquas iacerent*, prout Cel. *Antiſtes Onoldinus* b. Dn. *de Lith* in *Hiſtoria Reformationis* teſtatur. Conf. Hiſt. Diplom. ad A. 1293, 1520, 1535, 1587 fol. 851, 946.

* Richerii Chronicon extat T. II Spicilegii ueterum aliquot Scriptorum a Luca d'Achery euulgati et anno 1723 Pariſiis denuo editi. Conf. C. G. Schuuarzii Lemmata quaedam Antiquit. Norimbergenſ. §. IV pag. 7. Hiſtoria Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. IV pag. 133.

** conf. Singularia Norimbergenſia pag. 137 et 167. Hiſtor. Diplom. Norimberg. Sect. IV ad Ann. 1219 pag. 134.

*** conf. Singular. Norimbergenſia pag. 137 et 167 et 170.

um inſtar teſtimonio aſſerere et uindicare poſſum ex illo ſplendidiſſimo largiſſimoque priuilegio, quod Caeſar optimus Fridericus II ſub initium ſaec. XIII ad confirmanda Maiorum ſuorum antiqua iura cariſſimae Ciuitati ſuae Norimbergae in compenſationem gratiſſimorum obſequiorum conceſſit et indulſit. * Iam uero ſi tempus inquirimus et exploramus, quo prima fundamenta caſtri oppidique Norici iacta ſunt: non in eas quidem nugas delabimur, quibus *Goldmayerus* haud obſcurus alioquin mathematicus ex uana aſtrologiae ſcientia caſtelli Norimbergenſis ortum *in annum M.* 3771 et *ante Chriſtum natum XIV* et urbis Norimbergae natiuitatem *in annum XXVI poſt Chriſtum natum* reponere conatus eſt **; ſed tamen, ſi *Meiſterlinum* ſequi

* conf. C. G. Schuuarzii Lemmata Antiqu. Norimberg. §. VIII. Hiſtoria Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. I pag. 10 et ſeqq.

** in libro Germanico, Irrdiſches Jeruſalem inſcripto. Conf. C. G. Schuuarzii Lemmata Antiquit. Norimbergenſ. §. I. Hiſtor. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 67. Hac occaſione non poſſum non indicare opinionem, quam mihi Amicus omnium probatiſſimus dilectiſſimusque communicauit de *Norimberga iam in Ptolemaeo citata.* Si enim *Bergium* Ptolemaei, non *Segodunum*, ut olim pro Norimberga habebatur, quod melius *Siegen* putatur, ſecundum locorum diſpoſitorum ſeriem conſideras et ex fide Graecorum exemplarium obſeruas, Bergium habere longitud. 33 et latitud. 49, 30 ſimulque attendis eam de Bergio longitudinem Ptolemaicam a recentiori diſcrepare ut 33 et 33, 26 itemque latitudinem ut 49, 30 et 49, 29: quidni cernis, Bergium eo loco poſitum deprehendi, quo iam ſita eſt Norimberga? Adhaec notari meretur, nullum Bergio adſcriptum fuiſſe nomen ex recentiori Geographia, quia Segodunum pro Norimberga habebatur. Hofmannus in Lexico Vniuerſ. Hiſtor. cum Ditmaro, Leone Hoſtienſi, Mariano Abbate Vſpergenſi et Caniſio *Bambergam* uocat Bergium antiquum, *MSC. Lexici Topogeographici Franconiae Part. I:* ſed tamen nos ex MSC., quod in H. G. EBNERI, V. N. locupletiſſima Bibliotheca ſeruatur, in medium excitare poſſumus *M. Georgium Sunleitnerum Paſtorem Nabburgenſem*, qui in Beſchreibung des Nordgaues Cap. VI ita ſcribit: Nürnberg iſt eine uralte Stadt, vermutlich *Bergium* bey dem *Ptolemaeo.* Ad opinionem hanc de

qui uolumus *, qui ad antiquos codices prouocare auſus eſt, non ſine omni rerum geſtarum probabilitate colligere aut ſuſpicari poſſumus, *Tiberium Neronem, qui ad Albim usque a Rheno cum exercitu non mari ſed terra penetrauit* **, *quum circa Noricorum fines in planitie caſtra locaſſet, ſpeculam feciſſe in monte noſtro et circum foſſam duxiſſe ibidemque poſuiſſe coloniam multosque nobiles attraxiſſe* ***. Inde uero, *ceu pergit Meiſterlinus*, ciuitatis noſtratis incolae, qui ex praeſtantioribus familiis confluxerant, propter barbarorum incurſiones frequenter collecti caſtrum et oppidum pro communi aſylo contra hoſtes tuebantur ****. Quis non uidet, quam pulchre omnia cum innata libertate Norimbergae conueniant: quum expreſſe legamus, nobiles hinc inde praedia poſſidentes in commune hoc aſylum confugiſſe? At enim multo magis multoque euidentius libertati locus eſt: ſi cum aliis potiſſimumque cum *Bilibaldo Pirckheimero* *****, egregio ciuitatis noſtrae ornamento, ſtatuimus et confirmamus,

---

Bergio confirmandam ſtabiliendamque omnino requiritur, ut indagemus, *annon ex uicinitate locorum circumiacentium, quae a Ptolomaeo citantur, tuto concludi poſſit, Bergium antiquum omnino eſſe Norimbergam*, conf. Origines Sclauicae Kannengieſeri et Falkenſteinii II Theil der Nordgauiſchen Alterthüm. fol. 30, 31. Porro etiam neceſſe eſt, ut inquiramus, *annon Bergii nomen in Scriptoribus occurrat.* Neque minus probandum incumbit, *annon forſan alii loco, qui Bergen aut Burgum uocatur, nomen Bergii antiquum competat.* Sed quum talis accurata disquiſitio res ſit maioris indaginis longiorisque temporis; in alium reſeruamus eam locum. Haec autem problematice dicta ſunto.

* conf. Meiſterlini Chronicon Norimbergenſe pag. 9. Tom. IIX Reliqu. MSC. Diplomat. Ludeuuigii.

** conf. Velleius Paterculus Hiſt. Roman. Libr. II Cap. CVI n. 2.

*** conf. Meiſterlinus in Chronico Norimbergenſ. pag. 11, 12. Add. Singular. Norimbergenſ. pag. 9, 10.

**** conf. Meiſterlinus l. c. pag. 18.

***** conf. Bilibaldi Pirckheimeri opera pag. 110. Wagenſeil in Commentat. de Ciuit. Norimbergenſi p. 13. Singular. Norimbergenſ. pag. 15.

mus, *pulſos fugatosque in hanc ſiluam Noricos conſediſſe urbemque muniiſſe et caſtrum extruxiſſe Noricum* *. Porro etiam quum terror ille gentium Europaearum inprimisque Germanicarum Attila Rex Hunnorum per Noricum ubique funeſtiſſimum impetum feciſſet: mirum in modum *ex confluxu hominum ditiſſimorum forſan et in agris uerſatorum numero ciuitas Norimbergenſis augebatur* **. Poſthaec autem quum *Bonifacius* ille Germanorum Apoſtolus Saec. VIII ſacellum S. Petro dicatum ad urbem Norimbergam condidiſſet ciuesque noſtrates ad religionem Chriſtianam perduxiſſet *** ibidemque *Willibaldus* **** in conuertendis et initiandis hominibus uerſatus eſſet ***** *Sebaldus*que etiam hic locorum pietatis et religionis nomine inclaruiſſet ******: ſuſpicari aut omnino colligere poſſumus, eo temporis interuallo ciuitatem Norimbergenſem multorum hominum

* Sic etiam *caſtrum Noricum* ab Ottone Friſingenſi L. I de Geſtis Friderici I cap. XVI uocatur; ſic cap. XXXVII *oppidum Noricum* ſeu *Norenberg* appellat, ex ea forſan ratione, quod putauit, caſtrum hoc a Noricis extructum fuiſſe. Add. Singularia Norimberg. pag. 14.

** conf. Singul. Norimb. pag. 15. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad A. 1219 Sect. III pag. 69. Wagenſeilius in Comment. de Ciuit. Norimberg. pag. 12. Bilibaldi Pirckheimeri Opera pag. 114. Sagittarii Hiſt. Antiqu. Norimbergae Cap. I §. X. Tom. II Antiquit. Norgou. p. 412. Annales Mullneriani.

*** conf. Sing. Norimb. pag. 59. Sagittar. in Hiſt. Ant. Norimberg. Cap. III §. V.

**** adhuc in ore omnium noſtratum eſt nomen Willibaldi, ex fonte, qui fons Willibaldi uocatur, ad Pegneſum ſito.

***** conf. Sing. Norimb. pag. 87. Antiquit. Nordgou. T. I p. 234.

****** conf. Singul. Norimb. p. 83. Hiſtor. Diplom. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 82. Meiſterlinus in Chronico pag. 30. Wagenſeilius in Comment. de Ciuit. Norimb. pag. 33. Sagittarius in Hiſt. Antiqu. Norimberg. Cap. III §. III et IV. Annales Mullneriani. T. II Antiquit. Nordgou. pag. 426 n. c. T. I pag. 249. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Orat. Waldſtrom. de Curiis pag. 109: ubi uerba citantur Lamberti Schafnaburgenſis, Scriptoris, qui Henrici IV Imperat. aetati aequalis eſt, ad

Digitized by Google

num longe lateque confluentium numero creuiſſe et innotuiſſe. Illinc uero ſi ad tempora Caroli M. progredimur, magna iterum ciuitati noſtrae facta eſt incrementorum acceſſio: dum non ſolum ex communi Annalium conſenſu * *Carolus M.* ** hic locorum ſaepius ſaepiusque in ſiluis uenando commoratus interque bellum *cum Thaſſilone Bauarico* geſtum *caſtra ad Norimbergam* metatus eſſe fertur, tertiam exercitus partem ſecum habens, itemque *ſacellum diui Martini*, quod templo et coenobio Aegidiano poſthaec a Conrado III adiunctum eſt, et *Altenfurtenſe ſacellum* ***, quod dicunt, *mirum antiquitatis monimentum in forma tentorii conſpicuum* extruxiſſe et ornauiſſe dicitur: uerum etiam ex documento quodam in ruderibus templi Aegidiani reperto uerbis expreſſis legitur, *circa annum Chriſti milleſimum fun-*

F *datio-*

annum cIↃ LXXII, *claram et ualde celebrem iſtis temporibus non in Germania ſolum ſed per Gallias etiam fuiſſe memoriam diui Sebaldi in Nurnberg, eumque locum magno populorum concurſu quotidie frequentari conſueuiſſe propter auxilia, quae diuinitus illic languentibus ſaepe numero acciderint.* Add. Chron. Auguſt. ad A. 1070. Putat quidem Auctor Comment. in Auream Bullam, Norimbergae nomen non fuiſſe cognitum antiquis temporibus, niſi Sebaldus tantum de ſe feciſſet rumorem (einen ſolchen Spuck gemachet hätte). Sed notandum eſt, nomen Norimbergae adhuc bis praeter locum de Sebaldo apud Lambertum Schafnaburgenſem occurrere, nimirum ad Ann. MLXXIII, quo *Henricus IV Norimbergae commoratus eſt*, et ad Ann. MLXXIIII, quo *Henricus IV in Nurenberg perrexit obuiam Legatis Apoſtolicae ſedis.*

* conf. Annales Mullneriani et Meiſterlinus pag. 25. Wagenſeilius in Commentatione de Ciuitate Norimbergae pag. 21. Hiſtoria Diplom. Norimbergenſ. Sect. III ad Ann. 1219 pag. 70. Singular. Norimbergenſ. pag. 67 et 75.

** de uita et geſtis Caroli M. conf. omnino Herrn von Bünau Reichs-Hiſtorie II Theil II Band.

*** Tale etiam ſacellum Wurceburgi extitiſſe dicitur. Caeterum hic allegamus B. *Rinkii Diſſert.* de *Carrociis* ex *Iure Militari* med. aeu. pag. 37, qui tradit, *eiusmodi Carrocia fuiſſe tanquam idola exercitus ibique ſacra habita fuiſſe, ceu olim Romani habuerunt ſacella caſtrenſia.*

dationem coenobii Aegidiani a Capella S. Martini Epiſcopi in radice montis factam fuiſſe *. Neque minus praeter Annales noſtros ** teſtantur etiam *Platina* et *Spangenbergius*, qui uetuſtis quidem temporibus non uixerunt ſed ſua tamen ex probatis Codicibus deſumſiſſe dicuntur ***, de Ciuitatis Norimbergenſis antiquitate teſtantur: quorum hic *in Chronico Mansfeldenſi Germanico Cap. LXXXIII* **** ſcribit, *Leonem Pontificem ex* ***Norenberga*** *profectum fuiſſe ad Carolum M. eo tempore cum exercitu Paderbornae commorantem* *****; ille autem *in Vita Leonis III* ****** tradit, *Carolum Imperatorem per Maguntiacos in Belgis poſitos Noricumque montem in Forum Iulii deſcendiſſe* *******. Poſt Carolum M. nihil quidem de Norimbergenſium ſtatu apud Scriptores euulgatos proſtat, niſi ea, quae ſub Imperatore *Ludouico* Infante

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 69. Hiſt. Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 78.

** Annales Mullneriani ſub Carolo M.

*** conf. Singularia Norimbergenſia pag. 185.

**** conf. Singularia Norimbergenſia pag. 179. Hiſt. Diplom. Nor. A. 1219 Sect. III p. 84.

***** conf. Singularia Norimbergenſia pag. 186 not. u: ubi ex Auentini Annal. Boior. L. IV fol. 200 haec uerba allegantur; *Epiſcopus Romanus (Leo III) per Nariſcos Norimbergamque in Saxoniam ad Magnum contendit*. Add. Sing. Norimb. pag. 186 not. t. Add. I. G. ab Eckhart Comment. de rebus Franciae Orientalis Tom. I pag. 791.

****** conf. Singular. Norimb. pag. 184 not. q. Legi uerba haec citata in editione anno 1481 Norimbergae ab Antonio Koburgero publicata, quae in Bibliotheca publica Ciuitatis Norimbergenſis reperitur.

******* Io. Georg. ab Eckhart in Commentariis de rebus Franciae Orientalis T. II pag. 104 legendum putat in Caroli M. Capitulari I pro Breemberg, *Neremberg* ſiue *Norimberg*; quum per Erfurtum, Babenberg et Noremberg uia Ratisbonam ducat euntes. Conf. quae in contrarium attulit Auctor Memor. Nordgau. l. c.

fante dicto cum Alberto Bambergenſi facta narrantur *: ſed tamen, quum ante iam oſtenderim, Norimbergam Alberto ſubiectam fuiſſe tanquam Praefecto imperiali ** ſemperque Caeſaribus paruiſſe, credendum eſt, *patriam noſtram per haec temporum interualla in ipſo libertatis uſu creſcentem floruiſſe et inualuiſſe* ***. Poſtquam uero ex defectu Principum Carolingicorum Rex a Germanis electus eſt CONRADVS I ****: *nihil prius nihilque antiquius habuiſſe* fertur, *quam ut*, quum patrias ſedes ubique crematas, agros deuaſtatos et populos barbarorum Hunnorum metu diſperſos uidiſſet *****, *caſtella in rupibus ſtatueret et collocaret, ciuitates aduerſus immanem hoſtium incurſantium libidinem et furorem firmis murorum ambitibus muniret inprimisque Norimbergam urbem caſtello nouo murisque inſtrueret ſiluasque circumiacentes ob multa latrociniorum genera excideret* ****** *pacisque tuendae cauſſa fortes nobilesque et honeſtos uiros terrae ſiluisque adiunctis impe-*

* conf. Annales Mullneriani. Singularia Norimbergenſia pag. 189. Hiſtor. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 74.

** Vt Furth in Comitatu Henrici Comitis ſitum fuiſſe dicitur et tamen iuris fuit Regularium ſanctae Eccleſiae Babenbergenſis in maiori monaſterio ad S. Petri, conf. Sing. Nor. pag. 322: ita etiam Norimberga, licet ad Comitatum Alberti referretur, tamen iuris fuit Imperatorii.

*** conf. Oratio mea de Imperatoribus Carolingicis ſiue Oda in Ortum et Progreſſum Ciuitatis Norimbergenſis decantata.

**** de uita et geſtis *Conradi I* conf. *Chron. Reginonis* Libr. II pag. 101 Tom. I Script. German. ex Collect. Struu. et *Annaliſta Saxo* Tom. I I. G. Eccardi Corp. Hiſt. Add. H. Heinrich Graf. von Bünau R. Hiſt. IV Th. II B. Io. Iac. *Maſcouius* in *Commentariis* de rebus Imperii Romanio-Germanici a Conrad. I ad Henr. III.

***** conf. Singularia Norimbergenſia pag. 213 not. g.

****** conf. Annales Mullneriani ſub Conrado I. Wagenſeil in Commentatione de Ciuitat. Norimberg. pag. 20. Hiſtoria Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 75. Singularia Norimberg. pag. 211.

*poſtquam ex agris * larga praemiorum ſplendidiſſimorum promiſſione in urbes inuitatae fuerunt?* Vnde etiam factum eſt, ut *ex iſto confluxu hominum prudentiſſimorum fortiſſimorumque, qui clauo et gubernaculo rerum ciuilium urbanarumque admouebantur, patria noſtra maiorem ſubinde nominis dignitatiſque ſplendorem Regumque et Imperatorum gratiam ac fauorem ex rebus bene feliciterque geſtis conſequeretur.* Tali modo fortuna Ciuitatis Norimbergenſis proſpera et aequabilis ſine ulla rerum offenſione perrexit ad Ottonem I auguſtiſſimum Germanorum Imperatorem ** : *qui*, quantum ex Annalium fide cognoſcimus, *tempore nati Chriſti cum omnibus imperii Principibus hinc illinc conuocatis Norimbergae Curiam habebat ſolennem regalibusque indutus ueſtimentis cum imperatrice auguſtiſſima diuinos caerimoniarum ſacrarum ritus frequentabat****. Vnde profecto, ceu Meiſterlinus loquitur, ſi Ciuitas noſtra in magno conuentu Principum ſolennique Curia tot hominum capax fuit, *eam ciuibus et aedificiis multis ingentibusque iam tum floruiſſe nemo negabit.*

* Hinc factum eſt, ut multi nobiles uiri, qui ex agro uenerunt in ciuitatem, nomen a uillis, ubi commorati fuerunt, retinerent.

** de uita et geſtis *Ottonis M.* conf. *Chronicon Reginonis* et *Annaliſta Saxo* l. c. et *Otto Friſingenſis* in Chronico Libr. VI Cap. XIX. Add. *Io. Iac. Maſcouius* in Commentariis de rebus Imperii Romano-Germanici.

*** conf. Annales Mullneriani ſub Ottone M. Meiſterlinus in Chronico Norimbergenſi pag. 28 Tom. IIX Reliqu. Diplomat. MSC. Ludeuuigii. Singularia Norimbergenſia pag. 239. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſis ad Ann. 1219 Sect. III pag. 85. Quod ad annum attinet, in quo Norimbergae fuiſſe dicitur Otto, nullum expreſſe Meiſterlinus allegauit: ſed Spangenbergius in Chronico Hennebergenſi Libr. II cap. XXIV fol. 63 notat annum 960 eumque citant Annales Mullneriani. Teſtatur quidem Auctor Analect. Nordgauienſium I Nachleſe pag. 48 ex Chronico Reginonis, *Ottonem natalem Domini Francofurt celebraſſe.* Sed Hahnius in der Reichs-Hiſtorie II Theil pag. 104 not. g et Struuius in Praefat. ad Chronicon Reginonis T. I Script. Germ. coll. Struu. ſcribit, *Continuatorem Regi-*

Poſthaec autem licet ſub Ottonum II et III imperio * nihil certi exploratique habeamus de incremento Ciuitatis Norimber-

nonis non omnino accuratum eſſe in deſignatione temporis. Quantum ego quidem iudicare poſſum, ex Meiſterlino colligo ab anno 938 usque ad annum 955 bis fuiſſe Ottonem Norimbergae, prius, quum diem Chriſti natalem ibidem habuiſſet ſolenni pompa in templo S. Petri, deinde, quum aduerſus Hungaros bellum geſturus eſſet, eum Norimbergae Saxonum, Thuringorum Francorumque exercitum collegiſſe, ut in ſuccurſum S. Vdalrici properaret, qui tunc in ciuitate Auguſta ab Hunnis obſeſſus Imperatorem euocauerat. Quis autem neſcit inter hos annos bellum inteſtinum Ottonem cum Eberhardo Duce Francorum et Ludolpho filio generoque ſuo Conrado Duce Francorum geſſiſſe? Anno autem 960 Spangenbergius narrat, Ottonem fuiſſe Norimbergae et in ſacello D. Martini caerimonias frequentaſſe ſacras: quum Francofurto et Wurzeburgo per Norimbergam, ut arbitror, Ratisbonam contenderet. Ita omnes circumſtantiae inter ſe concordant. Iter, quod Otto I fecit ab Anno 940 usque ad annum 947 et ab anno 952 usque ad annum 953 et ab anno 959 usque ad annum 960, facile patet ex ordine Diplomatum, quae in Regeſtis Chronologico-Diplomaticis a Petro Georgiſch A. 1740 publicatis reperiuntur. Add. *Chronographus Saxo* in *Acceſſ. Hiſt. Leibnitii*, conf. Not. L in Appendice. Fabulam de Erneſto Comite Ottonis M. priuigno fuſius examinauit Io. Georg. ab Eckart in Commentariis de rebus Franciae Orientalis Tom. II pag. 510—523 factamque dicit Erneſti reconciliationem cum Ottone I Babenbergae. Idem Auctor allegat ex Odonis poetae Saec. XII, qui fabulam de Erneſto conſcripſit, Henricum Ottonis I fratrem obſediſſe montem Noricum ſiue Norimbergam eamque Erneſtum liberaſſe. Caeterum quae de eodem Erneſto Duce filio Adelheidis Reginae priuigno Ottonis in Annalibus referuntur, ſic expreſſit Auctor incertus in Fragmento Hiſtorico *pag* 81 *Part. II Rerum German. ex editione Vrſtiſii Francof.* 1670; (*ante annum* 961) *priuignus Regis Erneſtus Dux filius Adelheidis Reginae, qui pro exceſſibus, Regia maieſtate laeſa, proſcriptus et exul factus erat, per plures annos et poſt infinitos labores exilii ſui Imperatori reconciliari meruit.* Conf. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad A. 1219 Sect. III pag. 86.

* de *Ottone II et III* conf. *Lambertus Schaſnaburgenſis* et *Annaliſta Saxo.* Add. omnino *Io. Iac. Maſcouius* in *Comment.* de rebus Imp. Romano-Germanici.

bergenſis: *nullo tamen dubitandum eſt modo, quin patria noſtra felices inter rerum ſuarum progreſſus optate auſpicateque ſuccreuerit maioremque antiquae libertatis uſum fructumque ceperit* *. Neque minus quum Henricus II ** ſceptrum imperii Germanici teneret: Norimberga tanto uſa eſt felicitatis augmento, ut, quum Imperator ſemel iterumque ex Bauaria Bambergam in urbem ſibi dilectiſſimam profectus eſſet ibidemque commoratus, *non ipſe tantum Henricus Norimbergae fuiſſe aut per hanc urbem tranſiiſſe dicatur* *** *ſed multi etiam Nobiles Comitesque et Equites*, praeſertim Naſſouii Comites ****, *hoc in loco ultra Pegneſum ſedem ſibi fixiſſe ſacellumque S. Sepulcri nomine inſignitum condidiſſe multisque inſuper et ſplendidis aedificiorum ſtructuris Norimbergam illuſtraſſe perhibeantur* *****. Poſt mortem Henrici II quum Conradus II Romanorum Imperator ****** electus Germaniae regnum ſuſcepiſſet bellumque inteſtinum cum Erneſto Sueuo, Conrado Franconico, Friderico Lotharingico et Welphone geſſiſſet: *Norimber-*

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 247 et pag. 253. Add. Annales Mullneriani ſub Ottone II et III, qui tradunt, *Comites Naſſouienſes hic fuiſſe.*

** de Henrico II conf. *Lambertus Schafnaburgenſis*, *Otto Friſingenſis* et *Annaliſta Saxo*. Add. *Io. Iac. Maſcouius* in Commentariis.

*** Singularia Norimbergenſia pag. 261 et pag. 279. Annales Mullneriani ſub Henrico II.

**** Horum inſignia adhuc cernuntur in frontiſpicio Templi Laurentiani, quod ſuperſtructum eſt Sacello S. Sepulcri olim extra urbem a Naſſouiis condito.

***** Singularia Norimbergenſia pag. 279. Meiſterlinus in Chronico pag. 29 et 35. Annales Mullneriani ſub Henrico II. Caeterum notandum eſt, aſſeruari Norimbergae in Templo Laurentiano calicem Henrici II ſic nominatum tali figura expreſſum, qualis ex opere Phrygio inter alios Imperatores in Dalmatica, clinodio imperiali, cernitur.

****** de *Conrado II* conf. *Lambertus Schafnaburgenſis*, *Otto Friſingenſis* et *Annaliſta Saxo*. Add. *Io. Iac. Maſcouii Commentarii* de rebus Imperii Romano-Germanici.

Digitized by Google

berga quidem dicitur fuiſſe oppugnata et ab obſidione liberata; ſed tamen poſt hanc calamitatem tantum abfuiſſe creditur, ut ex libertatis uſu quidquam amiſiſſet, ut potius ex iſto malorum publicorum incommodo maiorem ſubinde ac praeſtantiorem dignitatis et libertatis fructum hauſiſſet *; quum **Gobelinus Perſona** *in Coſmodrom. Aet. VI cap. LIII* affirmet, *Henricum Conradi II fratrem (melius ſi ſcripſiſſet, Conradum* ** *Hezilonis filium et Conradi Salici patruelem) reuerſum ad Regem et ueniam conſecutum Nurenberg ſponte reliquiſſe imperio.* Vnde igitur ſi Gobelinum ſequi uolumus, non poenitendum argumentum ſumi poteſt, *quam uetuſto tempore ciuitas imperialis fuerit Norimberga* ***.

Iam uero ſi ad tempora Henriei III Imperatoris **** progredimur: quis non luculenter aperteque uidet, *Ciuitatem Norimbergenſem pulcrius excellentiusque in lucem Germaniae cultioris tanquam urbem ſedemque liberam et imperialem ſubinde prodiiſſe; quum non modo dictus Caeſar de dignitate Epiſcopali ab Aiſtadio in Abbatiam Aegidianam Norimbergenſem transferenda ad maiorem Ciuitatis No-*

---

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 291.

** Conradum hunc uocat conſanguineum Regis Conradi Salici OTTO Friſingenſis in Chronico L. VI Cap. XXVIII. Annaliſta Saxo memorat Conradum patruelem Conradi Salici, Tom. I I. G. Eccardi Corp. Hiſt. pag. 464.

*** conf. C. G. Schuuarzii Epiſt. ad Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 97. Singularia Norimbergenſia pag. 291—302. Meiſterlinus in Chronico pag. 36. Annales Mullneriani ſub Conrado II. Sagittarius in Hiſtoria Antiqua Norimbergae Cap. II §. V. Hiſtor. Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 92. Addatur omnino Not. P in Appendice; ubi *Anonymus Saxo* tradit, *Ducem Henricum Conradi II Regis fratrem Nuremberch imperio reſignaſſe.*

**** de *Henrico III Imperatore* conf. *Lambertus Schafnaburgenſis, Otto Friſingenſis* et *Annaliſta Saxo.* Add. *Io. Iac. Maſcouius* in Commentariis de rebus Imperii Romano-Germanici.

Noricae ſplendorem cogitaret *, *ſed anno etiam milleſimo quinquageſimo curiam Norimbergae haberet ſolennem in conſenſu multorum Principum Statuumque Bauaricorum aliorumque etiam imperii Ordinum et Epiſcoporum de bello Vngarico* ** *idemque porro Ciuitati Norimbergenſi ius mercaturae , uectigalium et nummorum cudendorum traderet aut confirmaret* ***. Quid de Henrici IV et V temporibus dicam, quibus noſtra ciuitas mirum in modum affligebatur ? Sed ut breuiter ſummatimque recenſeamus, quae ad ſcopum noſtrum pertinent, notandum eſt, anno MLXXIII *Henricum IV* ****, ut Lambertus Schafnaburgenſis ſcribit, *Saxonum defectione agitatum diebus aliquot Norimbergae fuiſſe commoratum* ***** *illincque Wormatiam confugiſſe eique ciuitati , ut ex diplomate* iam ſupra citato

G *con-*

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 303. Hiſt. Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 92. Sic autem ſcribit Hofmannus Annal. Bamberg. Lib. II §. 17 fol. 67: *Henricus* (III) *Epiſcopo* (*Herberto*) *Abbatiam S. Aegidii, nunc moenibus Norimbergenſium incluſam, tunc uero extra urbem poſitam daturum ſpondet.*

** conf. Annales Mullneriani ſub Henrico III. Singularia Norimbergenſia pag. 307. Hiſtor. Diplomatica Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 92. Sagittarius in Hiſtoria Antiqua Norimbergae Cap. III §. 1. Waldſtromeri Oratio de Curiis Norimbergae habitis pag. 10. Add. Auentinus Lib. V Annal. Boic. Cap. VIII. Conf. Not. B in Append.

*** conf. Annales Mullneriani ſub Henrico III. Singularia Norimbergenſia pag. 321. Hiſt. Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 92. Sect. X pag. 318. Sect. II pag. 55 et ſeqq. Sic autem ſonant uerba diplomatis ab Henrico IV dati: *Furth dictum — mercaturam a beatae memoriae Patre noſtro aliquando ad Norinberc translatam cum teloneo et percuſſura proprii numiſmatis reddidimus et confirmauimus.*

**** de *Henrico IV* conf. *Lambertus Schafnaburgenſis, Otto Friſingenſis; Annaliſta Saxo* et *Auctor Vitae Henricianae* apud Vrſtiſium Tom. I.

***** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 10. Singularia Norimbergenſ. pag. 337. Hiſtoria Diplomatica Norimberg. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 92. Sagittarius in Hiſtoria Antiqua Norimberg. Cap. III §. VI.

conſtat, inter caeteras regiae poteſtati adſignatas urbes nominatimque Francfurt et Nurenberc immunitatem teloniorum conceſſiſſe et impertiiſſe * : notandum eſt etiam, *anno ſequenti Henricum IV*, ut idem Lambertus Schafnaburgenſis teſtatur, *celebrata in Babenberg Paſchali ſolennitate, in Nurenberg perrexiſſe obuiam* Legatis Apoſtolicae *Sedis* ** itemque *anno MLXXVII regalem Curiam Norimbergae*, ut ex duobus diplomatibus *in Vgbelli Italia Sacra Tom. V pag.* 58 uidere licet, *ſine dubio cum fidis adhuc Principibus habuiſſe expeditionemque contra Rudolphum Sueuum in Saxonia commorantem decreuiſſe* *** inſuperque anno MXCVII, ut Bertoldus Presbyter Conſtantienſis Continuator Hermanni Contracti *in Chronico rerum geſtarum ex editione Vrſtiſii T. I pag.* 376 narrat, *Henricum cum paucis Ratisbonam deueniſſe et ibidem totam aeſtatem et circa caſtrum Nurenberg ſatis priuate moratum tandem Nemetum migraſſe* ****. Nullo autem ſilentio praetermittendum eſt, *Henricum V* *****, *filium Henrici IV, quum ſceptrum imperiale Patri ſummis uiribus extorquere conaretur* ******, *urbem Norimbergam*

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 339. Hiſtoria Diplomatica Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 93. Sect. X pag. 321. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 16. Notamus, adhuc Wormatienſes liberos eſſe Norimbergae a telonio ſoluendo itemque Norimbergenſes Wormatiae. Add. Not. T in Append.

** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 11. Singularia Norimbergenſ. pag. 344. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 92. Sagittarii Hiſtor. Antiqu. de Norimberga Cap. III §. VII.

*** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 11. Singularia Norimbergenſ. pag. 347. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 93.

**** conf. Sagittarius in Hiſtor. Antiqua Norimbergae Cap. III §. VII. Singularia Norimbergenſ. pag. 352. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad A. 1219 Sect. III pag. 93.

***** de uita et geſtis Henrici V conf. *Otto Friſingenſis* et *Annaliſta Saxo*.

****** de diſcordia *filii Henrici V* et *patris Henrici IV* conf. *Annaliſta Saxo* itemque *Anonymus Saxo* et *Chronicon Sampetrinum Erfurtenſe*. Add. not. D, M et N in Append. Huc etiam pertinent Epi-

gam Henrico IV fidam per duos uel amplius menſes, ut OTTO FRISINGENSIS in Chronico Libr. VII Cap. VIII et IX narrat, *oppugnaſſe tandemque expugnaſſe Ratisbonamque adiiſſe, patrem uero e ueſtigio ſubſecutum eo usque proceſſiſſe, ut filium ex urbe Ratisbona fugaret, regno igitur in ſe ipſo miſerabiliter diuiſo, ex omnibus eius uiribus coadunato milite, ferro flammaque crudeliter uaſtata terra in ripa Regini fluminis utrumque, ſcilicet Patrem et Filium conſediſſe, donec Duce Bohemiae Beroe ac Marchione Leopoldo a Patre recedentibus imperator Henricus IV, dum uires eius imminuebantur, cedere compelleretur Henricique V uires augeri coepiſſent* *. Auctor quidem ille, qui uitam Henrici IV deſcripſit, *in Hiſtoria ſua ex editione*

ſtolae, in quibus *Henricus IV Pater* conqueritur de *uiolentia Henrici V filii*, qua eum regno deturbauit, *Tom. II Corp. Hiſt. ex edit. Io. G. Eccardi* pag. 220.

* Otto Friſingenſis ſcribit *in Chron. L. VII Cap. XI, ſe haec lecta poſuiſſe ex* Euſebii aliorumque Hiſtoricorum *libris*. Idem affirmat Meiſterlinus *in Chronico pag. 44, ſe deſumſiſſe narrationem a ſe factam ex Euſebio hiſtorico.* Patet etiam hoc ipſum, ſi quis Ottonem cum Meiſterlino confert: ut paucis oſtendam, *dum Meiſterlinus refert, dimiſſis Saxonibus Henricum ad obſidionem Neurobergenſium conuerſum fuiſſe*, Otto Friſingenſis narrat, *eum dimiſſis Saxonibus caſtrum Noricum obſidione cinxiſſe*; dum Meiſterlinus ſcribit, *Henricum illud oppidum poſt duos menſes cepiſſe ac deſtruxiſſe, uaſtaſſe et diripuiſſe in praedamque militibus dimiſiſſe omnibusque praeter caſtrum diſſipatis ſoluto exercitu Ratisbonam ſe contuliſſe, patrem e ueſtigio ſequutum et ad ea, quae filii fautorum, conuerſum omnia deuaſtaſſe, tandem, quum Ratisbonenſes dolis patri et non aperte fauerent, patrem fugaſſe ex urbe filium, qui Newonberg uaſtauerat*, Otto Friſingenſis tradit, *Henricum caſtro per duos uel amplius menſes expugnato Ratisbonam adiiſſe, patrem e ueſtigio ſubſecutum et progreſſum Ratisbonnenſium auxilio filium urbe fugaſſe, ferro igitur flammaque crudeliter uaſtata terra in ripa Regini fluminis utrumque Patrem et Filium conſediſſe.* Quis non ex collatione Ottonis et Meiſterlini uidet, *utrumque uel ad ipſa uerba usque inter ſe conſpirare Ottonemque nullo modo negare uiolentam expugnationem oppidi Norici et uaſtationem:* dum expreſſe ſcribit, *ferro flammaque crudeliter uaſtatam eſſe terram?* Conf. Annales Mullneriani ſub Henrico IV. Sagittarius in Hiſtoria Antiqua Norimbergae Cap. III §. VIII et IX. Singularia Norimbergenſ. pag. 356. Hiſtoria Diplomatica Norim-

tione Vrſtiſii **T. I pag. 387 narrat,** *Henricum V minacem caſtellum Norinberch obſediſſe, ubi quanta uirtute pugnatum ſit, cladem utriusque partis argumento fuiſſe, obſeſſis, quanto minus ſpei, tanto plus adfuiſſe animi et niſi imperator ſceleri parcens caſtellum tradere praecepiſſet, adbuc ibi caſſa obſidione laboraturum fuiſſe Henricum V, ſed Henricum IV Patrem maluiſſe oppidum tradi quam filii diſcrimine liberari, maluiſſe eius iniurias tolerare quam uindicare, oppidanos igitur oblata, qualem uellent, pactione oppidum tradidiſſe dimiſſoque exercitu Regem Ratisbonam ſe contuliſſe; quod ubi comperit Imperator (ſedit enim tunc in urbe Wirziburgenſi) eum tam praecipiti tamque tacito curſu ueſtigia filii ſequutum eſſe, ut iter eius non ante, donec modica turba ſuorum, tranſito Danubio, ad urbem immiſſis equis ruerent, praeſciretur, obſtupefactum filium ad tam ſubitam et inopinatam rem ex urbe profugiſſe, Regem miſſis illico nunciis per Bauariam et Sueuiam ſparſum exercitum recollegiſſe, eam rem Imperatorem coegiſſe, ut et ipſe exercitum cogeret, exercitum igitur utrumque ad fluuium, cui Regino nomen, ſe ſibi oppoſuiſſe, hinc patrem, inde filium et eos, qui ex parte Imperatoris erant, perſuaſibilibus illectos uerbis et multis magnisque pollicitationibus attractos erga Imperatorem in fide frigere coepiſſe.* Iſte, inquam, Auctor nihil quidem de expugnatione et uaſtatione urbis Norimbergenſis referre uidetur; quum in caeteris rerum geſtarum circumſtantiis exacte conſpiret cum Ottone Friſingenſi: ſed tamen ex eo, quod ſcribit, *cladem utriusque partis argumento fuiſſe, quanta uirtute pugnatum ſit, colligere forſan licet, magnam partem urbis Noricae ab hoſtibus fuiſſe uaſtatam, caeteram uero partem, quae caſtello proxima erat, per foſſas transuerſas,* uti Anna-

bergenſ. ad A. 1219 Sect. III pag 94. Wagenſeilius in Commentat. Ciuitar. Norimberg. pag. 22. Add. Lorenz Fries in Coll. Scriptor. Wirz burgenſium a I. P. Ludeuuigio A. 1713 Francofurti publicata pag 488, qui ſcribit: Heinrich hat Nürnberg mit Sturm erobert, geplündert, zerriſſen und verwüſtet. Doch wehrten ſich der Vogt auf dem Schlos Gottfried und ein Herr von Radenzgaw Conrad geheiſſen ſo männlich, daß der König daſſelbe Schlos nicht gewinnen konnte ꝛc.

Annales expreſſe narrant, *ab oppidanis tamdiu fuiſſe defenſam, donec ex mandato Henrici IV traderent oppidum Henrico V facta pactione.* Ex eo etiam, quod ſcribit, *oppidum fuiſſe traditum*, haud difficulter ſuſpicari licet, quod Meiſterlinus affirmat, *caſtellum Henrico V non fuiſſe relictum Henrico IV uiuente.* Tali modo *Hoffmannus in Annal. Bambergenſ. apud Ludeuuigium Vol. nou. Script. Rer. German. T. I pag.* 95 *ad Ann.* 1105 refert, *Norimbergam per duos amplius menſes arctiſſima obſidione cinctam fuiſſe eaque demum expugnatam et praeter caſtrum a Godofredo urbis Praefecto et Conrado Comite Radensgauienſi defenſum, ad ſolum funditus euerſam* *. Collectis igitur diuerſorum Auctorum relationibus credo affirmoque, *Norimbergenſes in expugnatione Henrico V maſcule reſtitiſſe ſed tamen multa ui oppreſſos et ab Henrico IV de uoluntaria deditione monitos caſtrum oppidumque Henrico V tradidiſſe ſed tamen ſuam urbem in aliorum exemplum uaſtatam ex magna parte tunc uidiſſe* **. Poſt illam uaſtationem, quae anno MCV facta eſt, legimus *in Libello de Fundatione Coenobii Pegauienſis a Madero cum Chronico Montis Sereni edito pag.* 251, *Henricum V anno MCX e Polonia in Teutoniam reuerſum, quum usque Nurenberch ueniſſet, Bohemiam ingreſſum et inſecutum fuiſſe Wicpertum iuniorem Comitem Leiſnicenſem* ***. Neque minus conſtat ex priuilegio, quod Henricus V de teloniis remittendis anno MCXII Wormatienſibus

* conf. Singularia Norimbergenſia pag. 359. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 99. Proſtant etiam litterae *in Goldaſti Tom. I Conſtit. Imper. pag.* 234 *et Script. Bamberg. Ludeuuigii*, quibus Henricus IV enixe contendit ab Epiſcopo Bambergenſi, ut Norimbergenſes conſolaretur. Conf. Not. A in Append. Add. *Vdalrici Babenbergenſis Codex Epiſtolaris* Tom. II Corp. Hiſt. ex edit. Io. G. Eccardi p. 218.

** Spangenberg ſcribit in der Mansfeldiſchen Chronick Cap. 209. Die Bürger haben der Ubergab nicht viel genoſſen, denn König Heinrich die Stadt zerbrochen und die Feſtung gar geſchleifet hatte. Conf. Sing. Norimberg. pag. 360. Conf. Not. C in Append.

*** conf. Singularia Norimberg. pag. 362. Hiſtor. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 93. Sagittarius in Hiſtoria Antiqua Norimbergae Cap. III §. X. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 11.

ſibus * confirmauit, *ciuitatem Norimbergenſem, ut ante iam Henrici IV tempore, inter urbes imperiali poteſtati aſſignatas relatam eſſe* **; ceu *ex Ludewigii Tom. II Reliqu. MSC. Diplom. pag.* 176 *et* 180 ſatis abundeque patet ***. Mortuo Henrico V **** quum praeter opinionem Friderici et Conradi Sueuorum fratrum Lotharius Imperator ***** factus eſſet: *illi quidem Norimbergenſe caſtrum* praeſidio tenebant ac tuebantur; *ſed tamen pace et reconciliatione facta Norimbergam Imperatori tradiderunt et reliquerunt* ******. Otto enim Friſingenſis, qui *Libr. I de Geſtis Friderici I Imperat. Cap. XVI et XVII* ſcribit, *Fridericum et Conradum*

* Huc usque iam, ut ſupra notaui, Wormatienſes liberi ſunt a teloniis Norimbergae et Norimbergenſes Wormatiae. Add. Not. T.

** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 16. Singularia Norimbergenſ. p. 366. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. X p. 322.

*** De Caeſaribus Franconicis Saxonicisque conf. Oratio mea typis exſcripta.

**** De morte *Henrici V* ſingularia recenſentur, conf. not. E in Appendice.

***** Inſtinctu et commendatione *Alberti* Archiepiſcopi Moguntini. Conf. not. H in Appendice. Caeterum de ulta *Lotharii* conf. Scriptores not. F et V in Appendice citati.

****** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 12 et 16. et Cel. Schuuarzii Programma ad Orat. de temporibus Caroli IV regnantis. Hiſtoria Diplomat. Norimbergenſ. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 104 et 105. Singul. Norimbergenſ. pag. 372. Sagittarius in Hiſtoria antiqua Norimbergae Cap. IV §. I. Hiſtoriae Auguſtae Tom. V pag. 615 legitur: *Conradus natus ex Henrici quinti ſorore — imperium quodam iuris titulo propter matrem ſibi uindicabat.* Item pag. 617: *Conradus, ubi praeſidio firmaſſet urbes imperii praecipuas, Vlmam, Noribergam, Auguſtam, relicta Germania, in Italiam contendit.* Quod reliquum eſt, totam rem cum Lothario et fratribus Friderico Conradoque geſtam fuſius enarrant *Annales Hildesheimenſes* apud Leibnit. Tom. I Script. Brunſuic. pag. 740: *Anno 1125 Imperator Henricus V obiit, in feſto S. Bartholomaei omnes totius imperii Principes Mogontiae conueniunt, omnes unanimiter Ducem Lotharium in Regem eligentes.*

radum Sueuos fratres caſtrum Noricum, in quo praeſidia poſuerant, tanquam iure haereditario, h. e, ut ante explicaui, *affectato imperii haereditarii iure poſſediſſe*; idem ille ſcribit, *Libr. VII Chron. Cap. XIX, Conradum et Fridericum in gratiam receptos fuiſſe* itemque *Conradum, qui a quibusdam Rex creatus fuit, poſtmodum reſipuiſſe* *: unde etiam factum eſt, ut, quod *in Dodechini Appendic. ad Scoti Chron. ad A. cIↄcxxx* legimus, *caſtrum Norimbergenſe Regi (Lothario)*

A. 1126 *Nouus Rex Natalem Domini apud Argentinam celebrat, dehinc ad patriam redit. Rex rapta acie admodum parua in Boemiam pro reſtituendo Ottone — tendit — obtruncantur ibi plerique meliores, uiri fortes et nobiles domi militiaque clari.* Rex *expeditionem mouet ſuper Fridericum Ducem Sueuiae uel Alſatiae ſed, eo in munitiora terrae ſe recipiente, Rex infecto negotio redit.* A. 1127 *Rex Norinberch urbem munitiſſimam obſidione premit.* Sed *nihil relatu dignum actum eſt ibi.* Sed *ſine effectu cum damno ſuorum inde rediit.* A. 1128 *circa feſtum S. Ioannis Baptiſtae Rex expeditionem contra Cunradum fratrem Friderici Ducis mouit obſeditque urbem Spirae acceptisque obſidibus circa feſtum S. Martini diſceſſit.* A. 1129 *poſt Pentecoſten Rex urbem Spirae iterum obſidione uallat, quia fidem — infregerunt.* A. 1130 *Rex natalem Domini cum multa frequentia Principum circa urbem Spirae in tentoriis celebrat.* Tandem *Spirenſes uidentes conſtantiam Regis fame coacti ſeſe cum ipſa urbe Regi tradiderunt.* A. 1135 *Frequens Principum fere totius regni Conuentus fit apud Bauenberg, Imperatore praeſente.* Ibi *Dei gratia adſpirante Fridericus Dux Sueuorum comitantibus Principibus in concordiam cum Imperatore ſociatur.* In *feſto Pentecoſtes apud Magdeburgum primum Principes regni coram Imperatore firmiſſimam pacem domi forisque ad X annos iurauerunt.* In *feſto S. Michaelis in loco, qui dicitur, Mulenhuſen Conradus frater Friderici Ducis Imperatori reconciliatur.* Conf. Oratio mea de Caeſaribus Germanicis ex gente Francorum et Saxonum ortis. Add. not. F, K et M et N et O et Q in Appendice. Caeterum hic etiam notari merentur, quae *de Lothario Romam a Romanis ſolerter inuitato* allegantur *Tom. II Corp. Hiſt. ex edit. Io. G. Eccardi* pag. 354, 357, 358.

* Chronicon Engelhuſii apud Leibnit. T. II p. 1098: *Lotharius Romae coronatus Bambergae quadrageſimam celebrans dictum Conradum et Fridericum interuentu S. Bernhardi tunc praeſentis recepit in gratiam.*

rio) *traderetur* aut ſecundum *Chronicon Riddagesbuſanum, quod extat inter Leibnitii Scriptores rerum Brunſuicenſ. T. II, pag.* 77 *ad Ann. c Ioc xxxii Nuremberg imperio ſubiiceretur* h. e. *reſtitueretur:* Inde uero quum poſt mortem Lotharii Imperatoris * Henricus Superbus caſtrum Noricum occupaſſet ibidemque inſignia et ornamenta imperii cuſtodiiſſet **: Conradus Imperator *** electus Henricum Superbum non prius in gratiam recipere uoluit, quam ea, quae iniuſte occupauit, reddidiſſet ****; ipſe etiam, *ceu* **Auentinus** *in Annal. German. Libr. VI pag.* 448 *et* **Meiſterlinus** *in Chronico ſuo T. IIX Reliqu. MSC. Diplom. Ludeuuigii pag.* 48 tradunt, *oppidum Norimbergae egregium a regno iniuſte ſubtractum iuſte reſtituit.* Tum uero Caeſar auguſtiſſimus urbem noſtram ſi non totam at ſaltim plurimam, quae ruinis excidiisque uaſtata iacebat, ex caſu et ruderibus inſtaurandam nouisque murorum acceſſionibus ornandam curauit. Neque uero, id ſolum curae cordique fuit Imperatori, ut moenibus foſſisque et aedificiis Norimbergam amplificaret, ſed ut gentes etiam

* Lotharius Imperator quum ex Italia in itinere fuiſſet, mortuus ſuiſſe dicitur in Nurenberck et translatus in Saxoniam et in monaſterio ſuo Lutherae ſolenniter ſepultus, *teſte Chronico Epiſcoporum Verdenſium T. II Leibnitii Scriptorum Brunſuic. p.* 217 itemque *Bothonis Chronico Brunſuicenſi in Dialecto Saxonica ſcripto.* Add. Waldſtromeri Orat. iam citata pag. 12. Conf. etiam not. G in Appendice.

** Auentinus Libr. VI Annal. Boior. Cap. III §. 40 p. 626. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 19. Sagittarius in Hiſt. Antiqua Norimbergae Cap. IV §. IV.

*** de uita *Conradi III* conf. Otto Friſingenſis, Chronica Regia S. Pantaleonis et Dodechinus in Appendice ad Mariani Scoti Chron. Add. not. K in Append.

**** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 18, 19. Hiſtor. Diplomat. Norimberg. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 105. Singul. Norimberg. pag. 378. Add. *Anonymus Saxo* Tom. III Script. Germ. Io. B. Menkenii pag 106. Conf. not. I, L, M et O in Appendice.

etiam nobilium et egregiorum hominum, quae inter triſtiſſima bellorum et excidiorum tempora in agros ſuos diffugerunt, blandis uerborum et promiſſorum illecebris intra muros reſtitutae ciuitatis reuocaret. Quo igitur finem hunc et ſcopum tanto certius efficaciusque conſequeretur, ſaepius ſaepiusque in urbe Norimbergenſi commoratus et uerſatus fuit. Vt igitur ſummatim dicam, Conradus noſter anno cIↃc xxxviii et cIↃc xxxix Norimbergae fuit: dum forſan poſt electionem et unctionem Confluentio et Aquisgrano, deinde etiam in itinere Auguſta Vindelicorum Wirzeburgum uerſus aut Goslaria in Bauariam facto Norimbergam ſeſe conferebat potiſſimumque anno cIↃ c xxxviii diploma, *quod T. III pag.* 391 *Ital. Sacr. Vghelli proſtat*, Balduino Archiepiſcopo Piſano coram teſtibus multis uiris Principibus et conſpectae dignitatis impertiebat. Idem anno cIↃcxlii curiam apud nos habebat regiam in eaque ſine dubio de Guelphicis turbis aliisque imperii negotiis agebat litterasque publicas Walthoni Abbati et Hugoni de Chranichberg in conuentu Principum exarauit *. Porro etiam ſuſpicari licet, Conradum, qui anno cIↃc xlvii Norimbergae fuit illincque magno cum exercitu ſacram expeditionem fecit reuerſusque ibidem anno cIↃcl conſedit, ſuſpicari, inquam, licet, Conradum anno cIↃcl curiam in urbe noſtra celebraſſe; quod non Legatis modo Traiectenſium inueſtituram regalium dedit ſed Presbyterum etiam, Epiſcopum Aſculanum, in Principum conſortium recepit **. Quod reliquum eſt, Caeſar noſter, *ut Mutii uerbis utar L. XVII Chron. pag.* 138, Norimbergam, urbem non Germaniae modo ſed etiam totius Europae, immo orbis terrarum ornamentum, auxit

H

* conf. Regeſta Chronologico-Diplomatica ad Ann. 1142 num. 25.

** conf. Annales Mullneriani ſub Conrado III. Wagenſeil in Comment. de Ciuit. Norimb. pag. 22. Sagittarius in Hiſtor. Antiqua Ciuitat. Norimb. Cap. IV §. 4, 5, 6. Meiſterlinus in Chronico Norimberg. pag. 47 et 48. Singul. Norimbergenſia pag. 382 - 415. Hiſtoria Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 140, 109. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 21.

auxit aedificiis, inſtitutis et priuilegiis monaſteriumque illic ad S. Aegidium fundauit * uiasque circa eam urbem undique latrociniis obſeſſas tutas reddidit. Quis ergo non uidet, quantum Norimberga Conrado Imperatori debeat: qui praeter curam ſacrorum et templorum ciuitatem noſtram ab iniuria hoſtium uindicauit, in libertatis uſum reſtituit ſplendidisque murorum, palatiorum et hortorum aedificationibus illuſtrauit, ciuium etiam nouorum et antiquiorum conuentu ornauit ſuaque demum praeſentia mirum in modum cohoneſtauit ** ? Iam uero ſi ad Fridericum I *** Caeſarem omnium fere auguſtiſſimum progredimur, qui anno cIↃ C LII Germanicae dignitatis faſtigium adeptus eſt: quantum non accepit incrementum Ciuitas Norimbergenſis ex huius Imperatoris mira clementia et benignitate? Is enim, quum ſemel iterumque et octies minimum Norimbergae uerſatus eſſet ſolenniumque comitiorum ritus obiiſſet, anno cIↃCLVI non ſolum ad ſe admiſit Legatos Graecos ſed etiam Mediolanenſem indixit expeditionem, Colonienſes de nouo Epiſcopo diſceptantes audiuit Burgundiamque cauſſam et alia imperii negotia tractauit ****; anno cIↃCLXV de noua expedi-

* conf. Hiſtoria Diplomat. Norimberg. Sect. III ad Ann. 1219 pag. 108 et Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 20. Sagittarius l. c. Cap. IV §. V et VI. Legi meretur Inſcriptio antiqua in ruderibus Templi Aegidiani reperta: *Anno Domini MCXL conſtructum et aedificatum eſt illud monaſterium S. Egidii et primo Abbates ſancti, uidelicet Deocarus et Declanus inceperunt et praecogitarunt, ſed Dominus Conradus Rex Romanorum opus bonum inceptum conſummauit ac perfecit atque cum aliis multis dotauit et in Abbatiam exaltauit.*

** Conf. Oratio mea de primis Sueuorum Caeſaribus Conrado III et Friderico I.

*** de uita Friderici I conf. Otto Friſingenſis et Radeuicus. Add. Herr von Bünau in Leben und Thaten Friederichs I.

**** conf. Singularia Norimbergenſ. pag. 416. Hiſtoria Diplomatica Norimberg. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 109. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 25. Herrn von Bünau Leben und Thaten Friederichs I pag. 63, 64. Pfeffingerus in Vitriario illuſtrato T. I p. 135.

peditione Italica, de Epiſcopatu Salisburgenſi cum Principibus conſultauit eoque omnes permouit, ut nullum alium Epiſcopum Romanum agnoſcerent, quam quem Caeſar elegerat*; anno cIↃc LXX Regem Bohemiae, qui offenderat, in gratiam recepit cauſſamque de Epiſcopatu Salisburgenſi et Ratisbonnenſi pertractauit itemque pacis conditiones cum Alexandro Pontifice inchoauit**; anno cIↃc LXXIV de regno Bohemico deliberauit***; anno cIↃc LXXXI de Duce Saxonico et Bauarico Henrico Leone**** eodemque forſan de Duce anno cIↃc LXXXIII cum frequentibus imperii Principibus conſultauit***** inſuperque anno cIↃcLXXXIV de ciuitate Italica Alexandria Principes in conſilium uocauit******; anno autem cIↃc LXXXVII omnium ſolenniſſime Friedericus iam cruce ſignatus, quum Norimbergae Principes imperii Germanici confluxiſſent Legatique gentium exterarum conueniſſent, legem ſanctiſſimam de incendiariis pacisque uiolatoribus promulgauit litterisque publicis conſignauit******* atque inde toto quaſi terrarum cultiorum orbe pacato et compoſito, poſtquam adhuc anno cIↃc LXXXVIII in

* conf. Herrn von Bünau Leben und Thaten Friederichs I pag. 186.

** conf. Herrn von Bünau Leben Friederichs I pag. 214. Pfeffingerus in Vitriario illuſtrato T. I pag. 136.

*** conf. Singularia Norimberg. p. 433.

**** conf. Heinrich von Bünau in Leben Friederichs I pag. 271.

***** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 28. Singul. Norimberg. p. 432.

****** conf. Singul. Norimb. pag. 432. Hiſtor. Diplomat. Sect. III ad Ann. 1219 pag. 111. Heinrich von Bünau l. c. p. 284.

******* conf. Meiſterlinus in Chronico pag. 55. Singul. Norimb. pag. 438. Hiſt. Diplomat. Norimb. Sect. III ad Ann. 1219 pag. 111. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 30. Hahns Reichs-Hiſtorie ſub Friderico I p. 316. Struuius in Syntagmat. Diſſ. XVII §. L. Heinrich von Bünau in Leben Friederichs I pag. 316. Sagittarius l. c. §. V Cap. V.

Digitized by Google

Epiſcopum Colonienſem iudicauerat * et anno cIↃc LXXXVIIII Legatis Graecorum ius iurandum de ſecuro tranſitu impoſuerat **, ſacram belli expeditionem decreuit, inſtituit, ſuſcepit; cui autem cum ſummo totius Europae luctu Germanorumque funeſtiſſimo damno praeter ſpem et expectationem immoriebatur ***. Succeſſor eius Henricus VI **** ciuitatem noſtram felici rerum ſucceſſu et incolarum copia et celebritate florentem nutu ſuo ac fauore mirum in modum euehebat: qui non tantum anno cIↃc XC ibidem conuentum Principum ſummorum coegit, ut Archiepiſcopi Colonienſis cauſſam recognoſceret eumque ab omni accuſatione bonorum occupatorum abſolueret aliasque publicae ſalutis res ordinaret *****; ſed etiam anno cIↃc XCVII frequentiſſimo Principum Nobiliumque comitatu ſtipatus Norimbergam uenit, ut in conſeſſu ſolenni de rebus imperii grauibus deliberaret et, ſi Ruxnero credendum eſt, feſtiuos nobilium inter ſe certantium ludos celebraret ******. Mortuo Henrico quum Philippus regnum Germanicum ſibi uindicaret, Norimbergae aliquoties congregata Principum frequentia ſplendorem aulae ſuae praeſentiaeque magnificentiſſimae oſtendit et expoſuit *******: Otto etiam quum electus eſſet, anno

* Sagittarius l. c. §. VI. Waldſtromeri Orat. l. c. pag. 28. Singularia Norimbergenſ. pag. 450. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 113.

** Sagittarius l. c. §. VII. Waldſtromeri Orat. l. c. pag. 28. Singularia Norimberg. pag. 452. Hiſt. Diplomatica l. c. pag. 113.

*** conf. Oratio mea de primis Suev. Caeſ. Conrado III et Friderico I.

**** de uita Henrici VI conf. Otto de S. Blaſio et Conradus Vrſpergenſis.

***** conf. Waldſtromeri Oratio de Curiis pag. 31. Sagittarius in Hiſt. Antiqua Norimbergae Cap. V §. VIII. Singularia Norimbergenſ. pag. 459. Hiſt. Diplomat. Norimberg. ad Ann. 1219 Sect. III p. 114.

****** conf. Annales Mullneriani ſub Henrico VI. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 32. Sagittarius l. c. §. IX. Singularia Norimbergenſia pag 463. Hiſt. Diplomat. Norimb. Sect. III ad Ann. 1219 pag. 114. Addatur Oratio mea de Henrico VI Imperatore.

******* conf Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 34. Singularia Norimberg. pag. 489 etc. Hiſt. Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 114.

no cIↃccvIII Norimbergae curiam habuit de parricidis Philippi, quumque ex Italia reuerſus eſſet, Norimbergam imperii Proceres anno cIↃccxII conuocauit iisque iniquas Pontificis Romani petitiones fraudesque multis uerbis commemorauit*. Tandem uero ad eum peruenimus imperatorem Fridericum II **, qui poſt uarios a ſe inſtitutos Procerum Germanorum conuentus anno cIↃccxIx cum multis Principibus curiam ſolennem celebrauit Norimbergae ibidemque Ciuitati noſtrae iura libertatis ac dignitatis antiqua non ſolum prolixe confirmauit ſed et largiter benigneque amplificauit ***. Ab eo autem tempore fortuna Ciuitatis Norimbergenſis publica ſine ulla immunitatis offenſione per ſingularem diuini Numinis gratiam fauoremque ſubſequentium Imperatorum pulcrius ſubinde creuit maioremque ſuae fidei pietatisque ac meritorum fructum cepit et, quod opto, in feros poſteritatis annos laetius abundantiusque humanae felicitatis culmen obtinebit ****.

* Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 35 et 37. Singular. Norimb. pag. 504 etc. Hiſtor. Diplomat. Norimb. l. c. pag. 114.

** de Friderico II conf. Geſta Friderici II Tom. I Corp. Hiſt. f. G. Eccardi.

*** conf. Waldſtromeri Orat. de Curiis pag. 40. Singularia Norimb. pag. 574 etc. 582. Hiſtoria Diplomat. Norimb. ad Ann. 1219 Sect. III pag. 116. Pfeffingerus in Vitriario illuſtrato Tom. I pag. 153. Annales Mullneriani ſub Friderico II.

**** Huc usque Ciuitatis Norimbergenſis libertatem innatam deduximus firmisque Auctorum teſtimoniis corroborauimus contraque aduerſariorum machinationes defendimus. Conf. Not. X in Append.

Appendix

A

GOldaſtus in *Collectione Conſtitutionum Imperialium Tom. I pag.* 234 et 235: XIII ad *Epiſcopum Bambergenſem*, ut in fide perſiſtat; *Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Othoni Babenbergenſi Epiſcopo, ſuo dilecto et certo fideli gratiam et omne bonum.* Nunc *imminente neceſſitate* (propter rebellionem filii Henrici Regis Rom. A. C. 1105) *debet apparere, qui ſint fideles nobis, et ipſa euidentia rei manifeſtandum eſt, quantum nos diligant et honorem noſtrum. Scias igitur, quod nos uique Wirzeburc uenimus cum multis militibus et adhuc ibidem plures expectamus, cupientes cum Dei adiutorio inimicos noſtros inuadere et caſtrum noſtrum Nurenberc, quod obſident, liberare. Quapropter tibi ſicut optimo fideli, rogando mandamus, ut ad nos uenire feſtines cum omnibus, quos habere poteris, ſicut tibi confidimus.* XIV pro fide *legitimo Imperio* ſeruanda aduerſus Tyrannum inuaſorem: *Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, Othoni Babenbergenſi Epiſcopo gratiam et omne bonum. Scimus, quia legationibus filii noſtri frequenter fatigaris, ſicut nobis per nuntium tuum mandaſti. Confidimus autem de tuae bonitatis fide, qua nec precibus nec minis nec perſuaſionibus nec blandiciis acquieſcas noſtris contra nos inimicis ſed ſemper fideliter nobiscum permaneas. Quantascunque autem perſecutiones ab inimicis noſtris ſuſtineas, nullatenus tamen terrearis ſed certus eſto, quod te non deſeremus ſiue in pace ſiue in periculo, et fiduciam habeas in omnipotente Domino, quod nobiscum cito a praeſenti liberaberis periculo. Sicut ergo de te confidimus et per Nuncium tuum tibi mandauimus, ad diem et locum, quem condiximus, uenire non dubites.* Igitur *per fidem, quam nobis debes, neque precibus neque minis terrearis aliquatenus, ut ad filium noſtrum transferaris: et ab omni Eccleſia atque per omnes Congregationes tibi commiſſas orationes ſine intermiſſione fac fieri ad Deum pro nobis. Caſtrum etiam tuum ita diligenter cuſtodire facias, ne aliquis ex cuſtodibus ab eo deſcendat. Nuncium etiam tuum ad conſolandos mittas Nurenbergenſes.*

Auen-

Digitized by Google

B

Auentinus Libr. V Annalium Boicorum Cap. VIII: *Caeſar perdomitis undique hoſtibus atque inimicis Reipublicae Vngaricam meditans expeditionem Norimbergae oppido gentilitio concilium uniuerſae Baioariae cogit. Epiſcopi Hartuicus Bambergenſis, Gebhardus Aichſtatenſis, Conradus Auguſtanus, Gebhardus Reginoburgenſis, Adouinus Sabonenſis, Nitgerus Fruxonenſis aduolant.* Item *Conradus ſummus Boiorum regulus, duces et tetrarchae Boioariae, Welpho Carionum et Lycatiorum et Atheſinorum praeſes, Albertus Auſtriaci limitis praefectus, Otto Schirorum dynaſta, praefectus praetorio Boiariae, Fridericus Damaſiae princeps et plerique alii Boiorum proceres praeſto ſunt; totius Boiariae nationes apparent, Nariſci, Chamabi, Boethi, Alemanni, Sudini, Iliſſii, Baebuni, accola Herciniae ſiluae Boiemisque continui, capita aliorum nominaſſe ſufficiat, Vindelicos, Noricos, Auſtriacos, Styrios, Charionos, Iuuauenſes, Burgbuſios, Tyrollios. Cum hiſce omnibus de bello Vngris indicundo Imperator conſultat.*

C

Sic ſcribit *Annaliſta Saxo* in *Io. Georg. Eccardi Corp. Hiſt. Med. Aeu.* T. II pag. 605: *Henricus V Wirceburch adiit et Erlolfum, quem Imperator ibi conſtituerat Epiſcopum, depellens Rotbertum eiusdem Eccleſiae Praepoſitum per Rothardum Archiepiſcopum intronizauit ſicque Eccleſia eadem Apoſtolicae Communioni reconciliata et ſecuritate ab urbanis accepta Saxonibus dimiſſis ipſe cum Bauariis Nuorimberch caſtrum obſedit, quod poſt duos menſes proſpere capiens ſoluto exertitu Ratisponam ſe contulit.*

D

Tom. II Script. Auſtriac. Hieron. Pezii pag. 10 de diſcordia Patris Henrici IV et V filii legimus: *In diebus illis incentor nequitiae et omnium malorum, caput et initium omnis peccati et iurgiorum, hoſtis pacis et concordiae, diſſeminator et amator diſcordiae, dolens et inuidens, pacis et quietis gratiam Imperio Romano et Chriſtianis tunc temporis arriſiſſe, ſuſcitauit rixas et diſſenſiones odiaque inter Imperatorem Henricum, qui Romanae Reipublicae praefuit, et Henricum filium eius, in tantum, ut regnum paternum omnimodis affectaret eumque omnibus conatibus tam clam tam palam impugnaret et animum eius, oblitus paternae reuerentiae, indies exacerbaret. Tum uero adſciſcit ſibi arte peſtifera Patris Secretarios, Cubicularios, Conſiliarios, Duces, Tetrarchas, Palatinos uniuerſique regni Principes.*

Et

Et alios quidem emollit blanditiis, alios impetit minis et terroribus, illos nefandis ſuggeſtionibus, illos uerbis ad deprecandum compoſitis et muneribus, illis praediorum et beneficiorum copiam, illis urbium et caſtellorum eminentiam et, quod magis corda ſitiunt mortalium, infinitam theſaurorum pecuniam promittit et offert —. Quid enim? Nihil apertum, quod non reueletur, neque abſconditum, quod non ſciatur. Tum in lucem prodeunt inſulae, regnum inuaditur, crematur, ſpoliatur. Pater ſenior a filio calumniis attenuatur acriter, inhumane, crudeliter. — Sic Imperator imperatoria maieſtate et dignitate priuatur: ſic filius patrem armis et uniuerſis agminibus, non reueritus canos multi temporis, depilauit.

E

De morte Henrici V Imperatoris ſcribit Tom. II Script. Brunſu. Leibnit. *Chron. Engelhuſianum* ita: *Henricus V uxore dimiſſa nusquam comparuit et, ut quidam dicunt, occulte peregrinationem aggreſſus Cluniaci factus eſt monachus.* Sed unde haec orta fabula ſit, oſtendit nobis *Appendix Chronograph. Siegeberti* Tom. I Script. German. Struuii his uerbis pag. 872 et 877: *Henricus Imperator Leodii Paſcha Domini celebrat, inde Aquis contendens, morbo dracunculi, qui ſibi erat natiuus, moleſtari coepit, propter quod et ibi aliquot dies remoratus eſt.* Deinde *quaſi Pentecoſtem celebraturus Vltraiectum uenit et tandem feria quinta in Pentecoſte uitam cum regno amiſit.* Corpus *eius, eiectis inteſtinis, ſale reſperſum Spiram relatum eſt.* De *hoc autem imperatore quaedam dicuntur, quae fabuloſa eſſe didicimus.* Fertur *nempe, quod ſe quaſi mortuum finxerit et occulte ſuorum praeſentiam fugiens peregrinationem aggreſſus fuerit et ad ultimum monachus factus Cluniaci fuerit.* Reuera *autem (ut dicitur) quidam erat ualde ſimilis eidem Imperatori et uiribus corporis plurimum ualens, qui monachatum Cluniaci ſuſcipiens Henricum imperatorem ſe eſſe firmiſſime aſſerebat.* - - - His *temporibus quidam Pſeudo imperator in partibus Alemanniae ſurrexit, qui per aliquot annos apud Solotorum in recluſione uiuens, egreſſus inde, imperatorem Henricum ſe eſſe mentiendo dixit.* Et *quum multos ſeducendo ſibi allexiſſet intrantium, ut pro eo etiam graues pugnae et homicidia fierent, aliis eum recipientibus, aliis ſeductorem palam profitentibus, tandem declarata eius falſitate Cluniaci in monachum attonſus eſt.* Caeterum ueram nobis de morte *Henrici V* relationem exhibet *Otto Friſingenſis* in Chronico Libr. VII Cap. XVI: *Henricus V dum inferiores Rheni partes circuire parat, in Traiecto Friſiae urbe morbo correptus — diem ultimum clauſit ac per Coloniam Aggrippinam deportatus in ciuitate Galliae Spira iuxta patrem, auum, proauum Imperatores cultu regio ſepelitur.* Idem *Otto* ſcribit *de Geſtis Friderici I Imperat.* Libr. I Cap. XV: *Imperator Henricus reuo-*

reuocatis in pacem, qui erant ei oppoſiti, principibus libere potitus imperio apud inferius Traiectum Friſiae urbem in Pentecoſte curiam celebrauit; ubi morbo correptus rebus humanis exemtus ſepultisque ibidem interioribus per ripam Rheni ad ſuperiora deportatus in Ciuitate Spira patribus ſuis appoſitus eſt. Porro refert *Abbas Vrſpergenſis* in *Chronico ſuo* ita: *Henricus V apud Traiectum ciuitatem Pentecoſten celebraturus aegritudine, quam iam diu celauerat, ſuperatus ad extrema coepit propinquare uocatisque, qui ſecum erant*, id eſt, *Regina Mathilde coniuge ſua caeterisque primatibus, prout potuit, de regni ſtatu conſilium dedit, coronam caeteraque regalia usque ad conuentum Principum conſeruanda in caſtello firmiſſimo, quod Hamirſtein dicitur, reponi diſpoſuit ſicque uiatico Chriſti ſacramentorum communicans diem clauſit extremum.* — Cuius *corpus more regio curatum Spiram eſt delatum et coram multitudine nobilium et inferiorum clericorum atque laicorum iuxta maiorum ſuorum mauſolea honorifice conditum* — *Anno incarnationis* MCXXV.

F

Sequuntur adhuc plura teſtimonia, quae probant confirmantque aſſertam a nobis ueritatem de Lothario et Conrado inter ſe longum disſidentibus. Sic autem legimus in *Addition. ad Lambertum Schafnaburgenſem* Tom. I Script. German. Struuii; *anno* 1125 *Henricus V obiit, Lotharius dux Saxonum apud Moguntiam rex eligitur.* A. 1126 *grauiter caeſus eſt exercitus in Bohemia; eodem anno Lotharius obſedit Nurenberg.* A. 1128 *Lotharius Rex obſedit Spiram.* Chronicon Halberſtadenſe tradit T. II Leibnit. Script. Brunſu. ita: *Henricus V ſentiens, imminere ſibi diem mortis ſuae, aduocatis conſobrinis Conrado Duce Francorum et Friderico Duce Sueuiae de ſtatu regni cum eis tractauit.* Quum *igitur Electores in ſubſtituendo Rege operam darent, diſceſſione orta, alii Lotharium Ducem Saxoniae, alii Ducem Conradum Francorum Orientalium elegerunt.* Porro legimus in *Dodechini Append. ad Mariani Scoti Chron.* Tom. I Script. German. Struuii: *anno* 1127 *Lotharius Rex Natiuitatem Domini Coloniae celebrauit, Caſtrum Nurenbergenſe obſeſſum per duos menſes a Rege et Duce de Bohemia ſed absque effectu ſoluta eſt obſidio.* A. 1128 *Spira obſeſſa, anno* 1129 *Spira ſecundo obſeſſa, anno* 1130 *Spira deditione ſubacta, Caſtrum Nurmbergenſe Regi traditur.* Sic etiam tradit *Chron. Riddagesbuſ.* Tom. II Script. Brunſu. Leibnit. ad A. 1130: *Nurenberg imperio ſubiicitur.* Siffridus Presbyter in *Epitom.* Tom. I Script. Germ. Struuii: *Conradus III nepos Henrici Caeſaris, frater Friderici Ducis Sueuiae electus eſt in Regem Romanorum adhuc uiuente Lothario ſuperius memorato.* Tandem *pace inter eos facta Lotharius apud Veronam moritur.* Paullus Langius Cygnaeus in Chron. Citizenſi

I Tom.

Tom. I Script. Germ. Struuii: *anno Domini MCXXV Henricus V obiit apud Traiectum.* Succeſſit *Luderus Saxonum Dux dictus Lotharius ſecundus rexitque annis 13.* Indignati autem *Francigenae, Saxonem eleuatum in Regem, conati ſunt alium ſuſcitare Regem Conradum uidelicet, Conſobrinum Henrici Caeſaris.* Pars tamen, *quae erat cum Ludero, praeualuit.* Helmoldus Presbyter Bolo-uienſis in Chronica Slauorum T. II Leibnit. Script. Brunſ. *anno incarnati uerbi MCXXVI obiit apud Traiectum Henricus Caeſar et ſucceſſit in ſolium regni Lude-rus Saxonum Dux. Indignati autem Francigenae, uirum Saxonem eleuatum in regnum, conati ſunt alium ſuſcitare Regem, Conradum uidelicet, conſobrinum Henri-ci Caeſaris. Praeualuit autem pars, quae fuit cum Ludero, abiensque Romam pro-motus eſt ad apicem imperii; Conradus eo propulſus eſt, ut ſe traderet in poteſta-tem Luderi.* Vt taceam, quae in *Chronicis* Tom. I Script. Auſtr. *Hier. Pezii* citantur, *Anonymus Leobienſis in Chronico ſuo* tradit: *A. 1123 Henricus Impe-rator moritur ſine haerede et in Ciuitate Spira cum progenitoribus ſepelitur.* Eo-dem *anno quatuor regni optimates eliguntur apud Maguntiam Fridericus Dux Sue-uiae, Leupoldus Marchio Orientalis Marchiae, Carolus Comes Flandriae, Lotha-rius Dux Saxoniae et hic obtinuit dans Henrico Duci Bauariae filiam ſuam.* Et *praedeceſſoris progeniem grauiter perſequi eſt exorſus, ſpecialiter Chunradum et Fri-dericum, qui in Norenberg et Spiram ſua praeſidia locauerunt.* Rex uero *Noren-berg obſidens a praedictis fratribus, ciuibus ſuccurrentibus, eſt abactus. Spira ſub-didit ſe per pacta. Fridericus* autem *Dux cum quibusdam Cunradum fratrem ſuum in Regem leuauit.* - - - A. 1133 *Lotharius in Babenberg curiam celebra-uit, ubi interuentu beati Bernhardi praedicti fratres in gratiam ſunt recepti.* Au-ctor incertus in *Chronico Auſtriaco* ſcribit: *A. 1125 Henricus Imperator, qui patrem a regno eiecit, obiit; cui Lotharius in regno ſuccedit. E contra ab aliis Chunradus eligitur et ab Epiſcopo Mediolanenſium, qui eum ſouerat, conſecratur.* Hic *Lotharius per omnia progeniem Imperatoris Henrici humiliauit et ideo Frideri-cus et Conradus ſe ſibi opponunt.* Gottfridus Viterbienſis in *Chronico* Tom. II Script. Germ. Struuii: *anno ab incarnatione Domini MCXXV deſuncto absque haerede Henrico V Principes Moguntiae conueniunt ibique habito de ſucceſſore con-ſilio quatuor regni optimates Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Sueuorum, Leopoldus Marchio Orientalis, Carolus Comes Flandriae ad regnum deſignantur.* Tandem *Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, uoto omnium, renitens, ual-de acre clamans ad regnum tractus, praeſente Legato Sedis Apoſtolicae nonageſi-mus ſecundus ab Auguſto regnauit.* Iſte *per omnia humiliauit progeniem Henrici Imperatoris, contra quem Dux Fridericus et Frater eius Conradus nepotes Henrici Imperatoris ex ſorore diu rebellarunt.* Propter quod *Papa Honorius, ſucceſſor Calixti, eos excommunicauit.* Verum tamen *praedictus Conradus a fratre ſuo*

Fride-

Friderico et a quibuſdam aliis factus eſt Rex contra Lotharium. Qui *cum pauco exercitu intrauit Italiam et Mediolani apud Modoetiam coronam portauit.* Deinde *ad partes Romanorum proceſſit et tandem rebus exhauſtus in patriam remeauit pacemque cum Lothario componens dimiſſo regno quieuit.*

Verſifice

Non erat Henrico quinto tunc maſculus haeres
Sed ſoror hunc genuit, qui regna meretur habere,
Tertius Conradus Rex diadema geret.
Conradus Dux imperium captare paratur,
Lotharius Dux Saxonicus contra releuatur
Sed magis inuidia quam ratione datur.
Liuor et inuidia recolebant geſta priorum,
Quos Henricorum fortuna repreſſit auorum,
Sic modo Lotharius tollit habetque thronum.
Tranſit in Italiam Conradus ibique receptus
Eſt Mediolani diadema potenter adeptus
Bellaque Rex Regi fortis utrinque uehit.

* * *

Regnat Lotharius, Conradus amicus habetur,
Summus et imperii ſignifer ipſe fuit.
Lotharius ſenuit, Conradi longa iuuentus
Obtulit obſequium ſed poſt ſene prorſus ademto
Succedens iuuenis regia iura tulit.
Interea iuuenis regni uexilla tenebat,
Fit prior in Ducibus ſemper primusque ſedebat,
Hoc ſibi nobilitas dignaque forma dabat.

Haec transſcripta ſunt ex Gottfrido Viterbienſi. Iam uero adducam uerba, quae leguntur apud *Io. Ge. Eccardum* in *Hiſtoria Genealogica* Principum Saxoniae pag. 370: *Anno Dom.* 1125 *Lotharius primo ſui imperii anno contra Bohemos uadens quorundam Principum ſuorum traditione magnam ſtragem ſuorum militum eſt paſſus.* Anno *Domini* 1127 *Rex Lotharius apud Merſeburgk Pentecoſten celebrans Vlricum Ducem Bohemorum in amicitiam recipit* — Moxque *caſtrum Norinbergk obſedit, habens ſecum in auxilio eundem Ducem cum magno exercitu Bohemorum.* Deuaſtata *itaque omni circumpoſita regione per tres menſes, Dux ad propria reuertitur.* Moxque *Rex Lotharius a Conrado — fugatur, dequa nimia inflatus ſuperbia contra ius faſque regni ſibi nomen uſurpat.* Lotha-

tharius *uero Rex progeniem Henrici Regis ualde deprimit, pro eo, quod ipſe Rex Henricus olim Lotharium nudis pedibus et laneis indutum ante Curiam Regis Henrici proſtratum ante pedes uix in gratiam recepit.* Sed *Fredericus Dux Sueuiae et Conradus Frater eius, filii ſororis Henrici Regis ſibi fortiter reſiſtebant.* Rex *natalem Domini celebrans apud Wirzeburgk Embriconem eiusdem ciuitatis fecit Epiſcopum, — ubi et Conradus, qui regium nomen ſibi uſurpauerat, excommunicatur.* Eodem *tempore Spira ciuitas dolo capitur a Frederico Duce Sueuiae et Conrado eius fratre, quam Rex Lotharius cum magno exercitu occupat, iamque capienda erat ciuitas, ſed poſtulantibus pacem Rex dedit dextras et ſuſceptis obſidibus discesſit dimiſſo exercitu, et mentiti ſunt ruptoque foedere rurſum rebellarunt.* Sequenti *anno ciuitas Spira a Rege Lothario per nouem menſes continuos oppugnata capitur.* Anno *Domini* 1133 *Lotharius — Imperator congregans exercitum aduerſus Fredericum Ducem Sueuiae et eius fratrem Conradum Sueuiam ingreditur, uillam Vlmen funditus deſtruxit, caſtella, munitiones plurimas euertit.* Anno *Domini* 1135 *Lotharius habuit Curiam in Babinbergk.* — Item *habuit curiam in Molhuſin, ubi Conradus — gratiam Imperatoris acquiſiuit —.* Eodem *anno Dux Fridericus gratiam acquiſiuit Lotharii.* Sequitur porro illuſtrationis et confirmationis cauſſa *Mutius in Chronico Rerum German. Libr. XVI*, Tom. II Script. German. Struuii: *Henricus V uenit ad Noricos, qui a parte patris ſtabant, Noribergam obſedit et ui expugnauit.* Quidam, *quod credo, putant proditione captam.* Libr. XVII: *Henricus V nullam reliquit prolem; fuerunt illi ex ſorore Hagna nepotes, Fridericus Dux Sueuiae et Conradus Dux Franciae Orientalis.* Poſt *huius igitur Imperatoris mortem ſine cunctatione Principes imperii conueniunt Moguntiae*, ibi, *quum multi malis artibus ambirent imperium, incorrupta Principum electorum integritas quatuor regni optimates deſignat (teſte Gottfredo Viterbienſi) Fridericum ſcilicet Ducem Sueuorum, Lotharium Ducem Saxoniae, Luitpoldum Marchionem Auſtriae et Carolum Flandriae Comitem.* Ex his *quatuor deſignatis quem potiſſimum eligerent, aliquot dies deliberarunt; tandem tamen Lotharius concordi ſententia electus eſt, uir humanitatis amator fortisque animo.* Multos *male habuit, quod non de progenie Henrici V quispiam electus erat, praecipue, qui erant de illius genere, contemtum grauiter ferebant.* Quare *Lotharius ab illis ſibi periculum fore facile intelligens, nihil omiſit, quicquid ad minuendos eos facere putauit. Fridericus et Conradus Henrici V nepotes multa contra Lotharium machinati ſunt et aliis quoque cauſſas fiduciamque rebellandi dederunt.* Quapropter *Lotharius timens illos, primum non armis debellandos ſed excommunicationibus deterrendos cenſuit, idcirco communicati ſunt ab Honorio Papa: illi nihil mutati excommunicatione, quin potius magis irritati contrahunt copias. Conradus creatur a Friderico fratre et aliis quibusdam Rex. Factus Rex ſtatim cum copiis magnis uerſus Romam uertit ſigna,*

in

in itinere omnia ſuo nomini ſubiicit —. Quum *audiret, Lotharium Imperatorem Sueuiam et Franconiam hoſtiliter uaſtare: in Germaniam redit, coniuncturus ſe cum fatre Friderico; uerum ubi attigit patriam, — cum Lothario foedus facit depoſitaque regia appellatione ſuis contentus uixit.* Huc etiam pertinent uerba *Chronici Admontenſis* T. II Script. Auſtr. H. Pezii: *Anno* 1125 *Henricus Imperator V in Traiecto Freſiae urbe absque haerede defunctus eſt. Principum habito Maguntiae conſilio quatuor regni optimates ad regnum deſignantur, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Sueuorum, Liupoldus Dux Orientalis, Carolus Dux Flandriae... Tandem Lotharius Dux uoto omnium XCII ab Auguſto regnauit.* Anno 1126 *Fridericus et Chunradus iuuenes ſororii Henrici Imperatoris V Lothario Regi rebellantes ab Honorio Papa excommunicantur.* Porro *Chunradus a fratre et aliis quibusdam Rex creatus ab Anshelmo Mediolanenſi Archiepiſcopo in Regem ungitur; ob quam cauſſam idem Archiepiſcopus a Papa depoſitus eſt eique alius ſubrogatus.* Anno 1134 *Lotharius Imperator generalem Curiam Babinberch celebrans Fridericum Ducem et fratrem Cunradum — in gratiam recepit.* Tandem etiam tranſcribam uerba *Ottonis Friſingenſis*, quae ad Lotharium Conradumque pertinent: ſic autem legimus *Chron. Libr. VII, Cap. XVII*; anno *ab incarnatione Domini MCXXV defuncto absque haerede Henrico V Principes Moguntiae conueniunt ibique habito de ſucceſſore conſilio quatuor regni optimates Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Sueuorum, Leopoldus Marchio orientalis, Carolus Comes Flandriae ad regnum deſignantur. Tandem Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, uoto omnium renitens ualde ac reclamans ad regnum tractus ſub praeſentia Sedis Apoſtolicae Legati XCIII ab Auguſto regnauit. Hic per omnia progeniem Imperatoris Henrici humiliauit, ut plane Dei iudicio iuſto, ſicut in libro Regum habes, ex peccatis ac praeuaricatione patrum ſemen ipſorum affligi uideretur.* Vnde *grauis diſſenſio regni in multos annos protracta plurimos in anima et corpore periclitari fecit. Praedicti enim Fridericus et Conradus iuuenes ſororii Henrici Imperatoris, dum ſe uiderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur.* Ob *quam cauſſam a ſummo Pontifice Honorio, qui Calixto ſucceſſerat, excommunicantur.* Porro *Conradus a fratre ac quibusdam aliis Rex creatus Pyreneum per iugum ſeptimi montis, qua Rhenus et Aenus fluuii oriuntur, tranſcendit; ubi a Mediolanenſibus, qui tunc Cumanum bellum per X annos pro afflictione populi utriusque ciuitatis miſerrime protractum, capta ac deleta urbe, proſpere conſummarunt, honorifice ſuſcipitur ac ab eorum archiepiſcopo Anshelmo Modoyci ſede Italici regni in regem ungitur.* Pro *his aliisque praefatus archiepiſcopus a ſummo pontifice deponitur et alter in locum eius ſubrogatur.* Cap. XVIII — *Lotharius — militem inſtaurat exercitumque ſed propter diſcordiam regni paruum per uallem Tridentinam in Italiam duxit, in multis locis tam amore Conradi quam reſpectu paucitatis ſuae*

ab incolis terrae ſubſannatus et deſpectus. Verum *paullo ante Conradus, qui a Mediolanenſibus Rex conſtitutus fuerat, pene omnibus ſuis amiſſis, periculoſe ad patriam repedauerat.* Cap. XIX: *Imperator ab urbe Roma rediens Germaniam ingreditur, non multo poſt generalem Curiam Babenberg circa mediam Quadrageſimam celebrans Conradum et Fridericum duces interuentu Claraualleniſis Abbatis Bernardi in gratiam recepit.* Idem *Otto Friſingenſis* ſcribit Lib. I *de Geſtis Friderici I Imp.* Cap. XVI: *Henrico V mortuo Albertus — principes regni in ipſa ciuitate Moguntina tempore autumnali conuocat malorumque a duce Friderico ſibi illatorum haud immemor, quum praedictus Dux ad regnum a multis expoſceretur, ipſe Lotharium Ducem Saxonum, uirum tamen ex probitatis induſtria omni honore dignum plus familiari rei, quantum in ipſo erat, quam communi commodo conſulens in Regem a cunctis, qui aderant, Principibus eligi perſuaſit.* Quae *res laudabiliter facta grauiſſimae tamen ſciſſurae ſeminarium denuo fuit.* Nam *praedictus Princeps conſilio eiusdem Alberti Moguntini Epiſcopi — nondum odio in haeredes Imperatoris Henrici ſatiati Fridericum Ducem fratremque ſuum Conradum perſequitur.* Cuius *rei gratia Caſtrum Noricum, ubi ipſi praeſidia poſuerant et tanquam iure haereditario poſſidebant, adiuncto ſibi Boemorum duce Vlrico et Baioariorum Henrico obſidione clauſit. Dux autem Boemorum, eo quod barbari, qui cum ipſo uenerant, nec Deum timentes nec hominem reuerentes omnia uicina depopulando nec etiam eccleſiis parcerent, a Principe poſt aliquod tempus redire permiſſus eſt.* Cap. XVII: *Fridericus Dux Fraterque ſuus Conradus militem colligunt ac data oppidanis die ac ſigno ipſi quadam die cum militia ſua caſtro appropinquant.* Quod *uidentes oppidani laetitiam cordis diſſimulare non ualentes in uoces magnas et cantus prorumpunt.* Princeps *tutius iudicans alio in tempore praefatum caſtrum obſidione cingere quam infidae fortunae fidei ſe incaute committere, obſidionem ſoluit ac per Babenberg tranſiens in ciuitatem Herbipolim ſe contulit.* Oppidani *cum ingenti clamore deſcendentes caſtra iam uacua irruunt et, ſi qui ibi remanſerant, diripiunt dominosque ſuos cum magna laetitia ſuſcipientes in caſtrum ducunt.* Duces *oppidum ipſum uictualibus aliisque neceſſariis muniunt ſicque Regem inſequentes, illo in ciuitate manente, tyrocinium, quod uulgo nunc turniamentum dicitur, cum militibus eius extra exercendo usque ad muros ipſos progrediuntur.* Poſt haec *Rhenum tranſeunt in Spirenſique ciuitate, cuius populus eos ob fidelitatem Imperatorum, qui ibidem humati ſunt, tanquam eiusdem ſanguinis conſortes deuote ſuſceperat, praeſidia collocant.* Qua *Princeps, iuncto ſibi Alberto Moguntino, obſidione circumdata multos ibi dies conſumens praeualere tunc non potuit.* Cap. XX: *diſſenſio igitur inter Fridericum Ducem Lothariumque Imperatorem pene per decem annos protracta imperium quieſcere non permiſit.* Addam inſuper, quae reliquit *Abbas Vrſpergenſis* in *Chronico* ſuo: *anno domi-*

nicae

Digitized by Google

nicae incarnationis MCXXVI Lotharius Dux Saxonum LXXXIX loco ab Auguſto regnum accepit regnauitque annos XIII. Fridericus Dux Sueuorum et Conradus frater eius, qui ducatum acceperat pertinentem ad Herbipolenſem Eccleſiam ab Henrico iuniore, nepotes fuerunt praefati Henrici, filii uidelicet ſororis eius. Filia namque Henrici Senioris cuidam Friderico nobili de Stophen matrimonio iuncta fuit mortuoque Rudolpho duce Sueuorum in bello, qui ſibi regnum uendicauerat, dictus Henricus Senior ducatum Sueuiae praefato Friderico genero ſuo contulit. Ipſe quoque Fridericus de praefata filia dicta Agnete duos filios progenuit, Fridericum uidelicet et Conradum, quorum Fridericus ducatum Sueuiae tenuit; quem a quibusdam audiuimus denominari monoculum. Cunradus uero ducatum Franconiae accepit: penes hos mortuo auunculo ſuo Henrico iuniore inſignia imperialia remanſerunt. Ideoque *cum quibusdam principibus peregerunt, ut ſaepe dictus Conradus in regnum eligeretur, in diſcordia contra Lotharium, pluribus tamen fauentibus Lothario; iſti tamen bellum habuerunt contra Lotharium. - - - - Henricus frater Vuelfonis nouiſſimi, qui filiam Lotharii accepit uxorem et nuptias cum ea apud Auguſtam Ciuitatem conuocatis fere omnibus principibus magnifice celebrauit, - - - - uenit ad Imperatorem Lotharium ſocerum ſuum apud Ciuitatem Nurenberc et ibi ducatum Saxoniae et omnia beneficia, quae imperator ab epiſcopis et abbatibus habuit, in beneficio ſuſcepit et ibidem pollicetur eidem Imperatori auxilium contra praefatum Fridericum et Cunradum fratrem eius. - - - - Imperator Lotharius obſederat Spiram ciuitatem, eo quod Ciuitas illa faueret Friderico et Cunrado ducibus —. Deinde mediante Mogontino Archiepiſcopo Spirenſes in gratiam Imperatoris redeunt. - - - - Lotharius Imperator confortatus eſt in imperio:* nam *et ſupradictus, qui ei aduerſabatur in imperio, a facie eius ierat in Italiam, ut aduerſitates ſibi ſuſcitaret ibidem.* Sane *interuentu beati Bernhardi Abbatis Clareuallenſis dicti duces Conradus et Fridericus in gratiam Imperatoris recepti ſunt in generali Curia Babenberc habita ſicque pax firmata eſt.* Quod reliquum eſt, ſubiungam denique *Anonymi Enarrationem de electione Lotharii* Tom. I Scriptor. Auſtriac. *Hieron. Pezii* pag. 570 ita ſe habentem: *In curia nuper Mogontiae celebrata quid dignum memoria geſtum fuerit, qualiter Electio Regis proceſſerit, breuiter cartae mandauimus. Congregatis igitur hinc inde Principibus, Legatis ſcilicet Domini Apoſtolici, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Praepoſitis, Clericis, Monachis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus caeterisque Nobilibus - - - - Saxonum Principes ultra Rhenum diſpoſitis in ripa caſtris honorifice conſederunt et ſupra eos Liupoldus Marchio cum Duce Bauarico cum magno militum collegio. Dux autem Fridericus, adiuncto ſibi Epiſcopo Baſilenſi caeterisque Sueuiae Principibus ac quibusque Nobilibus e regione ex altera Rheni parte conſederant. Et facta ſeorſum Principum collectione non modica, utpote qui* animum iam in *regnum*

gnum intenderat et quaſi ſpe certa praeoccupauerat, fingens timorem Mogontinienſium diſtulit ad Principum uenire colloquium et paratus in regem eligi ſed non in Regem eligere, prius explorare uolebat, quem ex omnibus Principum aſſenſus promouere pararet. Conuenientes igitur, praeter ipſum et ſuos, omnes regni Principes - - - - primo decem ex ſingulis Bauariae, Sueuiae, Franconiae, Saxoniae prouinciis Principes conſilio utiliores propoſuerunt, quorum electioni caeteri omnes aſſenſum praebere promiſerunt. Hi itaque tres ex omnibus tam diuitiis quam uirtute animi praeſtantiores ſcilicet Ducem Fridericum, Marchionem Liupoldum, Ducem Lotharium in concione deſignantes, unum ex tribus, qui placeret omnibus, in Regem eligi perſuaſerunt. Abſente autem Duce Friderico reliqui duo, qui aderant, oblatum ſibi regii nomen imperii profuſis lacrimis genibusque terrae defixis humiliter renuebant. - - - - - - - Porro *Dux Fridericus ambitione caecatus, ſperans ſibi conſequenter reſeruatum et quaſi indubitanter conferendum, quod a duobus uidit humiliter refutatum, - - - - - Principum conuentui ſociatus, in Regem eligi paratus adſtabat. Surgens uero Mogontinus Archiepiſcopus conſulto requiſiuit a tribus praefatis Principibus, utrum ſine contradictione, ſine retractione et inuidia ſinguli quoque tertio communiter a Principibus electo uellent obedire?* Ad *quae uerba Dux Lotharius, ne ipſe ullatenus eligeretur, humiliter expetiit et eligendo cuicunque ſe ut Domino et Imperatori Romano obedire promiſit.* Idem *de ſe Marchio Liupoldus publice profeſſus et regni ambitionem et futuri Regis aemulationem ſacramento a ſe remouere uolebat. Requiſitus igitur Dux F. utrum ipſe ad totius Eccleſiae Regnique honorem et liberae electionis commendationem perpetuam idem, quod caeteri fecerant, facere uellet? Sine conſilio ſuorum in caſtris relictorum ſe reſpondere nec uelle nec poſſe aſſeruit et, quia ad ſe exaltandum Principum animos nequicquam unanimes usquequaque perſenſit, conſilium ſuum et adſpectum Curiae iam inde ſubtraxit.* Videntes *ergo Principes tantam Ducis ambitionem tamque uiolentam quaſi debitae ſibi poteſtatis exactionem, quam ante ſublimationem adeo efferri dominarique uidebant, ne quando ſibi praeficeretur, unanimiter refellebant. Poſtera uero die congregatis Principibus quum abeſſet Dux F. et cum eo Dux Bauaricus: requiſuit Mogontinus Archiepiſcopus, utrum uterque nominatorum in electione Principum, qui aderant, refutata a ſe deſignatione praemiſſa concorditer et benigne in eligenda quacunque perſona Principum uoluntati uellent praebere conſenſum?* Quod *humiliter et deuote ſimul utrique laudabant et quaſi non amplius ſollicitandi ſed de alio quopiam eligendo ſolliciti ſimul in una ſede conſidebant.* Proinde *quum dimiſſis iam praenominatis Principes admonerentur, communicato conſilio perſonam quaererent, quam - - - regno praeficerent: ſubito a Laicis quam pluribus, Lotharius Rex ſit, clamor exoritur. Lotharius rapitur, Lotharius humeris imponitur et regiis laudibus renitens ac reclamans extollitur. Principes uero quam plurimi maximeque*

meque Bauariae prouinciae Epiſcopi rem tantam inconſulte et impetuoſe factam abhorrentes et de ſedibus ſuis ſe perturbatos debita cum indignatione conquerentes ab aliis ſecedere - - - parabant. - - - - - Tandem — Domnus Cardinalis - - - Epiſcopos ſeorſum conueniens - - - niſi ad pacem redirent, - - - - mala per hanc diſceſſionem ſuboritura ipſis adſcripſit. - - - - - factum eſt, ut praemiſſa debitae ſatisfactionis humilitate redirent in gratiam, qui praecipitationis ſuae culpa concitauere diſcordiam. Accito igitur Duce Bauarico - - - - - - Lotharius Rex Deo placitus ſublimatur in regnum. Concordantibus itaque in electione Regis uniuerſis regni Principibus - - - - - Lotharius ſequenti die in Principum concione conſedit - - -, ab Epiſcopis uniuerſis - - - fidelitatem non indebitam de more ſuſcepit - - - - Deinde confluebant regni Principes fidelitatem ſuam tam in hominio quam Sacramento Regi Domino firmauerunt - - - - -. Videns itaque Dux Fridericus, contra Dominum non eſſe conſilium uel potentiam hominum - - - - - - tertia demum die, Ratisponenſis Epiſcopi caeterorumque Principum conſilio precibus correctus ad Curiam rediit et — debitam Regi iam Domino ſuo reuerentiam exhibuit et cum eo ſic in gratiam et amicitiam tanto ſtabilius, quanto liberius rediit. Tandem *compoſitis omnibus Rex praedictus ſub regiae Maieſtatis obtentu pacem firmam in omni regno Teutonico usque ad Natiuitatem Domini et ab inde ad annum usquequaque communiter indixit; quam ſi quis infregerit, iuxta cuiusque prouinciae legem atque iuſtitiam ſeueriſſime uindicta exſoluere debebit.* Patet ex hac narratione, *Fridericum quaſi ſpe certa iam ante electionem praeoccupaſſe regnum ſummamque poteſtatem quaſi debitam ſibi ambitioſe uiolenterque exegiſſe* atque hinc etiam *cum fratre ſuo Conrado*, ut *Otto Friſingenſis* ſcribit, *caſtrum Noricum tanquam iure haereditario poſſediſſe.* Legimus etiam in hac narratione, *Fridericum tertia poſt electionem die reconciliatum fuiſſe Lothario.* Sed *quia Lotharius inſtinctu Alberti Moguntini Archiepiſcopi Fridericum et Conradum perſequebatur: bellum geſſerunt fratres contra Lotharium ad A. 1135, ubi pax firma componebatur.* Chron. *Monaſt. Mellicenſ.* pag. 230 Tom. I Script. Auſtr. Hieron. Pezii. Chron. *Clauſtro - Neoburgenſ.* pag. 444. Chronicon *Auſtriacum* pag. 557. Tabulae *Clauſtro - Neoburgenſes* pag. 1011. Coronidis loco excerpam uerba, quae reſiquit *Annaliſta Saxo* in *Io. Georg. Eccardi Corp. Hiſt. Med. Aeu.* Tom. I pag. 656: *Anno Dominicae Incarnationis MCXXV Henricus V Imperator apud Ciuitatem Traiectum Pentecoſten celebraturus, aegritudine, quam diu celauerat, ſuperatus ad extrema coepit propinquare uocatisque, qui ſecum erant*, i. e, *Regina Mathilde et Conſobrino ſuo Friderico Duce Sueuiae caeterisque Primatibus, prout potuit, de regni ſtatu conſilium dedit, proprietates ſuas atque Reginam eiusdem Friderici utpote haeredis ſui fidei commiſit, coronam caeteraque Regalia usque ad Conuentum Principum conſeruanda in caſtello firmiſſi*

mo, quod Trifels dicitur, reponi diſpoſuit ſicque uiatico Chriſti ſacramentorum communicans diem clauſit extremum X Kal. Iunii, cuius corpus more regio curatum Spiram eſt delatum et coram multitudine nobilium et inferiorum Clericorum atque Laicorum iuxta maiorum ſuorum Mauſolea honorifice conditum anno regni ſui XX, imperii uero XIIII. Hic, *ut praeſcriptum eſt, primo ſub ſpecie religionis patrem excommunicatum imperio priuauit, confirmatus in honoribus mores mutauit, ſed poſt iniurias Apoſtolicae Sedi illatas ſemper ſe ipſo inferior fuit, iuſtitiis regni non multum inuigilauit, acer fuit ingenio, fortis et audax, licet parum felix, in praemiis multus, in appetendis alienis pecunias, ut aiunt, infinitas congeſſerat, quas ſecundum ſcripturas quum theſaurizaſſet, ipſe ſine filiis obiens heu heu ignorabat. - - - -* In *feſto S. Bartholomaei omnes totius imperii Principes Moguntiam conuenerunt.* Ibi *Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites omnes unanimiter Ducem Saxoniae Liuderum ſiue Lotharium in Regem elegerunt, uirum iam inde ab adoleſcentia in bellis experientiſſimum et in uictoriis frequentiſſimum.* Quocunque *enim ſe uerterat ſpeciali quodam fato, quo Caeſar Iulius uſus, uincebat. - - - -* Et *quomodo Eccleſiae ſtudioſus defenſor erat, adnitentibus Epiſcopis et maxime Archiepiſcopo Adelberto una cum Archiepiſcopo Colonienſi Friderico uiris in eccleſiaſticis negotiis diſertiſſimis Rex effectus eſt.* Erat *enim uir totius prudentiae Sacerdotii et regni fideliſſimus coadunator, apud Deum ſummae deuotionis, prouidus in conſilio, ſtrenuitate bellorum fortiſſimus, et nullius unquam timore periculi perterritus, ita, ut eisdem temporibus ad regni gubernacula uideretur eſſe decentiſſimus.* Denique *in ſchiſmate, quo Eccleſia Dei ſub eius anteceſſoribus Imperatoribus propter diſcordiam regni et ſacerdotii plurimum deſudabat et multorum animos in utroque ordine Cleri uidelicet et populi quodam erroris nubilo contenebrauerat,* Iſte *religioſus et catholicus Princeps principalem animum gerens quorumlibet Eccleſiae fidelium defenſor extitit et tantis uirtutum inſignibus praeditus Henrico illius nominis quinto ſine ſuperſtite haerede decedente unanimi uoto totius Eccleſiae et regni Principum, utpote fideliſſimus patronus in ſolium regni eſt ſubleuatus, Anno Dominicae Incarnationis MCXXV - - - - octogeſimo tertio loco ab Auguſto regnauitque annis XII menſes III dies X.* Vxor *eius Donna Richeza Coloniae a Friderico Archiepiſcopo in Reginam conſecratur.* Igitur *Rex Luiderus electus et conſecratus uerſus Bauariam tendit et apud Ratiſponam regio more ſuſcipitur rebusque ibi rite diſpoſitis remeat.* Anno *Dominicae Incarnationis MCXXVI Rex Luiderus Natale Domini apud Argentinam celebrauit et Fridericus Dux Alſatiae noua quaedam contra Regem molitus Principum iudicio damnatur. Rex in patriam regreditur. - - - - Frequens Principum conuentus Goslariae praeſente Rege fit et expeditio poſt Pentecoſten contra Ducem Fridericum ab omnibus collaudatur.* Rex *Luiderus rapta acie parua — in Bohemiam tendit,* ſed *obtruncantur ibi plerique terrae meliores, uiri fortes et nobiles*

biles domi militiaque clari. - - - - - - Tandem *Dux Sobezlaus coram Rege proſternitur ueniamque deprecatur. - - - - - -* Rex *expeditionem mouit ſuper Fridericum Ducem Alſatiae, ſed eo in munitiora terrae ſuae ſe recipiente Rex infecto negotio rediit.* Anno *Dominicae Incarnationis MCXXVII Rex Luiderus Pentecoſten Merſeburg celebrauit, ubi decentiſſimo multorum Principum habito conuentu unicam et dilectam filiam ſuam Gertrudem glorioſo Bauariae Duci Heinrico Ducis Henrici et Wulfildae Magni Ducis natae filio cum multa honorificentia in matrimonii honore ſociauit.* Inde *aduerſus Caſtrum* Nurinbergh *expeditionem fecit eamque obſedit ſed nil relatu dignum actum eſt ibi, ſed ſine effectu cum damno ſuorum rediit. Fridericus* namque *Dux Sueuorum et frater eius Conradus Heinrici Imperatoris conſobrini ipſo adhuc ſuperſtite uoluntatis ſuae libertate male potiti, Heinrico Imperatore decedente plurima caſtella et multa alia regii iuris ſibi uindicantes temeraria poteſtate ſub principatus ſui conditionem haereditario iure uſurpauerunt ipſumque religioſum Principem Luiderum Regem ad faſtigia regni ſubrogatum inuida aemulatione zelantes multis iniuriis prouocabant, ita, ut Conradus in Italiam profectus apud Mediolanum a complicibus ſuis in Regem ſe conſecrari fecerit.* Anno *Dominicae Incarnationis MCXXVIII Rex Natale Domini Wirceburh celebrat ibique ſiniſtro rumore percellitur, Conradum fratrem Friderici Ducis Alſatiae regium nomen uſurpaſſe.* Hac *de* cauſſa *Magedaburgenſis et Moguntinus et Salſeburgenſis Archiepiſcopi aliique plures, qui tunc aderant, Epiſcopi Conradum excommunicauerunt. - - - - - Conradus falſo nomine Rex et Fridericus frater illius cum ſuis complicibus a D. Honorio Papa - - - - damnati et excommunicati ſunt. - - - - - Circa Natiuitatem S. Ioannis Baptiſtae expeditio Regis fuit contra Conradum inuaſorem regni obſeditque eum Spirae, in qua ille ſuum praeſidium expulſo Epiſcopo collocauerat, acceptisque obſidibus cum iuramento multorum nobilium circa feſtum Sancti Martini diſceſſit.* Anno *Dominicae Incarnationis MCXXVIIII poſt Pentecoſten Rex Luiderus urbem Spirae iterum obſidione circumdat, quia fidem, quam ſuperiori anno ſpoponderant, et iuramentum, quod iurauerant, infregerunt.* Anno *Dom. Incarnat. MCXXX Rex Natale Domini cum multa frequentia Principum circa urbem Spirae in tentoriis celebrat.* Tandem *Spirenſes uidentes conſtantiam Regis fame inſuper et bellis coacti ſeſe una cum urbe in deditionem Regis tradiderunt in Natali Sanctorum* Innocentum. *Coniunx Ducis Friderici, quae ciuibus ad ſolatium a Duce intra urbem relicta fuerat, fame et nuditate acriter afflicta a Rege Lothario regalibus donis liberaliter ditata cum ſuis diſceſſit. Rex autem cum ſuis ingreſſus Epiphaniam Domini intra urbem coronatus celebrat. - - - - -* Rex *Paſcha Goslariae celebrat, Pentecoſten uero Quidelingeburh, ubi quidam Principes inter ſe diſſidentes in concordiam redeunt. Rex* Nurenbergh *urbem munitiſſimam, quam ſuperiori anno obſederat, in deditionem accepit. Concilium XVI*

K 2 *Epiſco-*

Epiſcoporum menſe Octobri a Rege Wirceburh congregatur, ubi excommunicati ſunt Petrus Leonis, Conradus et frater ſuus Fridericus cum omnibus eis fauentibus. Anno *Dominicae Incarnationis MCXXXI Conuentus XXXVI Epiſcoporum et Principum fit Leodii, Domno Apoſtolico Innocentio et Rege Lothario ac Regina praeſentibus, ubi multa tam de eccleſiaſticis quam de regni utilitatibus prouide ordinata ſunt.* Ibi *excommunicati ſunt Petrus Leonis, Conradus et frater ſuus Fridericus cum omnibus eis fauentibus.* Anno *Domin. Incarnat. MCXXXII Rex Lotharius celebrauit Aſſumtionem Sanctae Mariae in Wirceburh et inde cum exercitu profectus eſt in Italiam pro conſecratione ſua ab Apoſtolico apud Romam in Imperatorem - - - - -* Anno *Dom. Incarnat. MCXXXIIII Lotharius Imperator Aſſumtionem Sanctae Mariae Wirceburh celebrauit et inde cum exercitu Sueuiam intrauit ſuper Fridericum Ducem et fratrem eius Conradum, qui quoddam oppidum Vlma dictum contra eum munierant et ciues ad reſiſtendum incitauerant, ſed Heinricus Dux Bauariae Imperatorem praeueniens oppidum expugnauit, depraedauit, incendit abſque Eccleſiis, Duce et fratre ſuo inde fugientibus et XII de praeſtantioribus captiuos abducentibus.* Poſtea *plures prouincialium ad Imperatorem confluxerunt, quibus et gratiam ſuam dedit ipſique fidelitatem ei promiſerunt. Deuaſtata autem plurima parte regionis Fuldam diuertit. Fridericus uidens, ſe a pluribus derelictum et adhaerentes ſibi ualde afflictos adiit Imperatricem Fuldae cum Imperatore degentem ſatis humiliter nudis pedibus flagitans eius gratiam, quae fecit, cum abſolui per Legatum Apoſtolici, qui praeſens erat, ab excommunicatione, qua per ſeptem annos continuos ſeparatus fuit a communione Eccleſiae primo in Teutonicis partibus a tribus Archiepiſcopis, poſtea Romae, dehinc in Leodicenſi Concilio obligauitque ſe magnis ſacramentis Imperatori fideliter adhaerere et ad proprium placitum coram Principibus gratiam eius exquirere.* Anno *Dominicae Incarnationis MCXXXV Lotharius Imperator XVI Kal. Aprilis, ſicut promiſerat, cum totius fere Principum regni Conuentu Babenberch cum ualida manu electorum militum et armorum uenit et Fridericus cum ſuis, licet aliquandiu reniteretur, gratiam Imperatoris publice prouolutus pedibus illius humiliter exquiſiuit et mox impetrauit. Qui etiam ſe profecturum cum Imperatore in Italiam proximo anno ſpopondit et pacem per totam Sueuiam, ſicut decretum fuit, firmiter obſeruari praecepit. Imperator Paſcha in Quidelingeburh celebrauit, Pentecoſten uero Magdeburh, ubi primo Principes regni coram ipſo firmiſſimam pacem domi foriſque ad decem annos iurauerunt et deinde caetera multitudo plebis tam ibi, quam per ſingulas regni partes haec eadem facere ſuadetur et compellitur. - - - - - - - Imperator poſt feſtum S. Michaelis Mulehuſen uenit, ubi Conradus uſurpator regii nominis, frater Friderici Ducis, coronae ac totius regalis ornamenti oblitus humiliter per Conradum Archiepiſcopum Magedaburgenſem ab excommunicatione ſoluitur ac per interceſſionem Impera-*

pera-

Digitized by Google

peratricis pedibus Imperatoris prouolutus gratiam illius promeretur. Idem affirmat *Chronica Regia S. Pantaleonis* in *Io. Georg. Eccardi Corp. Hiſtor. Med. Aeu. Tom. I* pag. 927: *Henricus V Imperator Anno Domini MCXXIV Traiecti infra ebdomadam Pentecoſtes obiit, corpus eius Spirae humandum deportatur. Anno Dominicae Incarnationis MCXXV - - - - - Lotharius Dux Saxonum bellicoſiſſimus et uictorioſiſſimus LXXXIX loco ab Auguſto ab omnibus in Regem eligitur et Coloniae ab Archiepiſcopo Friderico cum Coniuge ſua Domina Richeza conſecratur regnauitque annis tredecim.* Anno *Domini MCXXVI Fridericus* Dux *Alſatiae noua quaedam contra Regem molitur, Principum iudicio damnatur.* Anno *Domini MCXXVIII Rex natiuitatem Wirziburg celebrat, ubi rumore percellitur, ſcilicet Cunradum fratrem Friderici Ducis Alſatiae regium nomen uſurpaſſe.* Hac *de cauſſa Magabertus et Moguntinus Epiſcopus et alii plures eundem Cunradum excommunicauerunt et poſtea eadem excommunicatio a domino Apoſtolico confirmatur. Contra quem Rex ueniens Spiram, in qua ille praeſidium ſuum, expulſo Epiſcopo collocauerat, obſedit ſed acceptis obſidibus diſceſſit.* Anno *Domini MCXXX Rex Lotharius Spiram obſidens ciuibus fame uictis urbem capit.* Anno *Domini MCXXXIII Rex Romam proficiſcitur - - - - - - - - II Nonas Iunii Lateranis in Eccleſia Sancti Iohannis in Imperatorem conſecratus - - - - - - -* Anno *Domini MCXXXV Imperator Natale Domini Aquisgrani celebrat, ubi Colonienſes eius gratiam obtinent.* Ibi *etiam Imperator et Colonienſis Archiepiſcopus diſſentientes ab inuicem diſcordati diſcedunt.* Poſtea *ipſe et Fridericus Dux Alſatiae interuentu Principum Imperatori reconciliantur.* In *feſto Pentecoſtes omnes Principes regni coram Imperatore firmiſſimam pacem ad decem annos iurauerunt et deinceps caetera multitudo idem facere compellitur.* Hoc ipſum confirmant *Annales Boſouienſes* in *Io. Georg. Eccardi Corp. Hiſtor. Med. Aeu. Tom. I* pag. 1007: *Anno* 1125 *Henricus quartus Imperator nominis huius et quintus Rex X Kal Iun. obiit - - - - - - -. Lotharius Dux Saxonum apud Mogontiam Rex eligitur et Aquisgrani benedictione regali ſublimatur. Otto quidam principatum gerens prouinciae, quae Merehern dicitur, Regem interpellando adiit, conquerens, ſe Ducatu Boemiae uelut haereditaria dignitate iniuſte priuatum. Rex Vdalrico Boemorum tunc temporis Duci prius datas iudicio Principum inducias, quas idem contemſerat, publice bellum indicit.* Anno 1126 *bellum Boemiae inter Lotharium Regem et Vdalricum Ducem Boemorum commiſſum eſt XII Kal. Martii, in quo multi nobilium de exercitu Regis ceciderunt.* Anno 1127 *Lotharius Rex apud Merſeburg Pentecoſten celebrans Vdalricum Ducem Boemorum in amicitiam recepit et filium eius de ſacro fonte baptiſmatis ſuſcepit et mox Caſtrum* Nurenberc *cum exercitu obſidet, habens ſecum in auxilium eundem Ducem cum grandi exercitu Boemorum. Peruaſtata itaque omni circumpoſita regione per tres menſes Dux praedictus cum ſuis ad pro-*

propria reuertitur moxque Rex a Cunrado fratre Ducis Friderici fugatur: unde et Conradus idem nimium inſlatus ſuperbia contra ius fasque regium ſibi nomen uſurpat. Anno 1128 *Rex Natale Domini Wirciburc celebrans Embrichonem eidem praefecit Epiſcopum - - - - - ubi et Cunradus Regi rebellis excommunicatur. Rurſum Romae idem Conradus a Papa Honorio excommunicatur. Spira dolo capitur a Friderico et Conrado Ducibus. Rex etiam mox eandem cum exercitu occupat; iamque capienda erat, ſed pacem poſtulantibus Rex dextras dedit et obſidibus acceptis dimiſſoque exercitu Rex abiit:* at *mentiti ſunt rurſumque rebellant.* Anno 1129 *Spira a Rege Lothario per VIIII menſes continuos oppugnata capitur.* Anno 1132 *Rex Lotharius - - - - Romam pergit ad uiſitandum regnum Italicum et ad ſuſcipiendam Imperialem benedictionem - - - - - -.* Anno 1134 *Imperator Lotharius cum exercitu aduerſus Ducem Fridericum et fratrem eius Cunradum Sueuiam ingreditur, uilla Vlma funditus deſtruitur, caſtella, munitiones plurimae euertuntur, tantaque clade tota Sueuia atteritur, ut nihil antea ſimile factum a cunctis Regibus memoretur.* Anno 1135 *Fridericus Dux Sueuorum gratiam Imperatoris Lotharii Babenberc acquiſiuit ad Curiam media Quadrageſima habitam et ex ſententia Imperatoris et unanimi conſenſu Principum pax eſſe decernitur X annis per regnum uniuerſum coniurantibus cunctis. - - - - - Rurſum Imperator curiam ſuam in Mulchuſin uilla regia habuit circa feſtum S. Michaelis, ubi Cunradus frater Friderici Ducis gratiam Imperatoris promeruit, cui quum omnia ſua reſtituiſſet, regiis donis honoratum ad ſua remiſit.* Add. *Iac. Greſeri* Tom. X fol. 627.

G

Chron. *Epiſc. Verdenſ.* in Tom. II *Leibnit.* Script. Brunſu. legimus ita: *Lotharius Imperator moritur in* Nurenberghe *et transfertur in Saxoniam et in Monaſterio ſuo Luthere, quod exſtruxerat, ſolenniter ſepelitur.* Porro etiam *his uerbis* ſcribit *Anonymus Saxo* in *Hiſtoria Imperatorum.* Tom. III *Script. Rer. German.* I. B. Menkenii pag. 105: *Quum Lotharius imperator negotia imperii in Italia et Apulia bene diſpoſuiſſet: reuerſus eſt in Teutoniam et in uia aegrotare coepit et iuxta* Nurenberch *de hoc ſaeculo tranſiuit et inde ſubuectus in clauſtro Lutere tumulatus fuit. Iſte Imperator rempublicam bene auxerat et exaltauerat et in diebus ſuis uniuerſalis eccleſia tranquilla pace gaudebat.* Sed *Abbas Vrſpergenſis* tradit in *Chronico* ſuo: *Lotharius Imperator de Italia per Tridentinam uallem rediens morboque correptus in ſilua, quae eſt inter Enum et Licum, ſub uiliſſima caſa XIII regni ſui anno abiit ac inde per Auguſtam et Orientalem Franciam in Saxoniam deportatus in monaſterio ſuo Luther honorifice ſepelitur.* Adhaec refert *Otto Friſingenſis* in *Chronico* ſuo Libr. VII Cap. XX: *Lotharius ex Italia*

rediens

rediens apud Tridentum morbo correptus in ipſis montibus in uiliſſima caſa miſeram humanae conditionis relinquens memoriam XIII regni ſui, imperii uero VII anno plenus dierum obiit — ipſe per Auguſtam ac Orientalem Franciam in Saxoniam ad monaſterium Luter, quod conſtruxerat, deportatus honorifice ſepelitur —. Praeterea notauit *Chronicon Montis Sereni* Tom. II *Script. Rer. German.* I. B. Menkenii pag. 176: *Imperator apud Bredinam uillam in faucibus Alpium conſtitutam II Nonas Decembris obiit. Corpus eius in Saxoniam relatum Luttere ſepultum eſt.* Neque minus narrant *Annales Vetero - Cellenſes* Tom. II *Script. Rer. Germ.* I. B. Menkenii pag. 385: *Anno MCXXXVI Imperator Lotharius rediens de Italia apud Brenduam uillam in faucibus Alpium mortuus fuit. Cuius corpus in monaſterium Sancti Petri in Luter in Saxonia delatum et ſepultum eſt.* Tandem etiam teſtatur his uerbis *Annaliſta Saxo* Tom. I *Corp. Hiſtor. Med. Aeu.* Io. G. Eccardi pag. 679: *Denique Lotharius Imperator Trigentinam ueniens ibique feſtum S. Martini cum gaudio celebrans infirmari coepit, quo languore quotidie ingraueſcente amore magno reuiſendae patriae nec ob hoc iter ſuum remorari patiebatur. Sed praeualente mortali aegritudine deſperatus, quum Epiſcopi, qui aderant, exitum eius unctione ſacri olei et uiuificis Sacramentis muniiſſent, tandem aput Breduuan uillam in faucibus Alpium conſtitutam ille heu! multis lamentabilis, utpote pax Eccleſiae, amator religionis et iuſtitiae III Nonas Decembris A. MCXXXVII a ſaeculo migrauit. Tempora ipſius iocunda fuerunt, nam bona aeris temperie, omnigena terrae fertilitate, cunctarum rerum copia non ſolum per regnum ſed et per orbem exuberabant. Merito a nobis noſtrisque Pater patriae appellatur, quia erat egregius defenſor et fortiſſimus propugnator, nihili pendens uitam ſuam contra omnia aduerſa propter iuſtitiam opponere et, ut magnificentius de eo dicamus, in diebus eius populus terrae non pertimuit. Vnusquisque enim ſua liberaliter pacificeque poſſidebat. Corpus eius delatum in patriam ſepelitur regio more in haereditate paterna in loco dicto Lutheron.* Quum *igitur ex allegatis relationibus* conſtet, *apud Bredinam uillam in faucibus Alpium conſtitutam Lotharium Imperatorem exſpiraſſe uel circa Norimbergam denique ſpiritum exhalaſſe:* ex his, *quantum iudicare poſſum, perſuaſus credo, Lotharium aut ſemianimum aut etiam occultata morte tanquam ſemianimum aut potius exanimem per Auguſtam et illinc per Norimbergam et inde porro in Saxoniam deportatum fuiſſe.*

H

Anonymus Saxo in *Hiſtoria Imperatorum* Tom. III *Script. Rer. German.* Io. B. *Menkenii* tradit ita pag. 104: *poſt mortem Henrici V orta eſt in imperio grauis diſſenſio, quia quaedam pars Principum Ducem Luderum de Saxonia elegit,*

git, altera uero pars in Conradum fratrem Ducis Frederici de Sueuia conſenſit. Anno igitur *Domini MCXXVI Luderus Dux de Saxonia Comitis Gheuehardi de Suppelingheborch filius ab Auguſto LXXXIX imperium obtinuit et XII annis in eo regnauit. Huic Dux Fredericus de Sueuia cum fratre ſuo Conrado ſe oppoſuit, quia idem frater eius Conradus ad regnum adſpirauit.* Item *legimus* in *Ioann. Latomi Catalogo Epiſcoporum Moguntinenſium* Tom. III *Script. Rer. Germ.* Io. B. Menkenii pag. 495: *poſt mortem Henrici V qui inſignia imperialia in muniſſimo caſtro Hamerſtein ad Rheni fluenta ſuper Coloniam ſito collocauit, Adelbertus Archiepiſcopus Moguntinus neutiquam ſibi dormiendum ratus multis pollicitationibus ea ab Imperatrice Mechtilda conſequitur ac Moguntiam indictis Comitiis paene ſolus efficit, ut Lotharius Saxoniae Dux uir pius et prudens eligeretur, praeteritis Friderico Sueuorum et Conrado Franconiae Ducibus germanis, Henrici ex ſorore nepotibus ad illud faſtigium ſupra modum anhelantibus.* Tradunt alii, *Friderico imperii inſignia commendata fuiſſe et cunctos propter animi moderationem caeterasque uirtutes Henrico ſucceſſorem deſtinaſſe. Eum uero ſingulari modeſtia faſces Principibus obtuliſſe tantumque onus humiliter recuſaſſe, etiamſi iam paene certus de ſui electione eſſet. Quam excuſationem Archiepiſcopus obſeruans, eam in rem ſuam uertit, ut qui domum et haeredes Henrici non amaret, conſentientibus caeteris, in Lotharium imperium tranſtulit. Vnde per integrum decennium inter praedictos fuit diſcordia et creberrima bella, ciuitates obſeſſae, Epiſcopi pulſi, donec per diuum Bernardum Clareuallenſem Abbatem ad concordiam reuocarentur et Fridericus Adelberti neptem ex fratre Comitis Sarburgenſis filiam Agnetem uxorem duceret.*

I

Sic tradit *Anonymus Saxo* Tom. III *Script. Rerum German.* I. B. *Menkenii* pag. 106: *poſt mortem Lotharii orta eſt contentio maxima inter Principes pro electione Imperatoris. Sueui igitur et Bauari Conradum fratrem Ducis Friderici elegerunt, Henricus autem Dux Bauariae et Saxoniae imperialia apud ſe tenuit, qui etiam filiam Imperatoris Lotharii uxorem duxit. Anno gratiae MCXXXVIII Conradus de Sueuia LXXXX ab Auguſto imperium obtinuit et XIIII annis regnauit. Hic caſtrum* Nurenberch, *ubi Dux Henricus imperialia clauſerat, uallauit et obtinuit ac inde inſignia imperii abſque ſponte Ducis abſtraxit.*

K

Anonymus Saxo in *Hiſtoria Imperatorum* Tom. III *Script. Rer. Germ. I. B. Menkenii* pag. 104 refert: *poſt mortem Henrici V orta eſt in imperio grauis diſſenſio, quia quaedam pars Principum Ducem Luderum de Saxonia elegit, altera uero pars in Conradum fratrem Ducis Frederici de Sueuia conſenſit. Anno igitur Domini MCXXVI Lutherus Dux de Saxonia Comitis Gheuehardi de Suppelingheberch filius ab Auguſto LXXXIX imperium obtinuit et XII annis in eo regnauit. Huic Dux Fridericus de Sueuia cum fratre ſuo Conrado ſe oppoſuit, quia idem frater eius Conradus ad regnum adſpirauit. Rex autem Luderus tunc perrexit in Bohemiam, ubi multos perdidit electos ac deinde contra Ducem Fredericum et fratrem eius Conradum profectus eſt in Sueuiam et non multo poſt ciuitatem obtinuit Spiram - - - - - -. Rurſus etiam ciuitatem Spiram, quia uiolatores fidei extiterant, obtinuit ſed et* Nurenberch *eodem tempore expugnauit. - - - - - - - Filiam Rex Duci Bauariae Henrico fratri Ducis Welponis uxorem dedit atque Ducatum Saxoniae ſimul cum ea illi tradidit. Hoc autem totum Merſeborch in quadam ſollemni Curia conſummatum fuit. Porro Dux Fredericus et frater Conradus Regi obedientes ſunt facti. - - - - - - Quum igitur Lotharius Imperator negotia imperii in Italia et Appulia bene diſpoſuiſſet: reuerſus eſt in Teutoniam et in uia aegrotare coepit et iuxta* Nurenberch *de hoc ſaeculo tranſiuit et inde ſubuectus in clauſtro Lutterae tumulatus fuit. Hic Imperator rempublicam bene auxerat et exaltauerat et in diebus ſuis uniuerſalis eccleſia tranquilla pace gaudebat. - - - - - - Poſt mortem Lotharii orta eſt contentio maxima inter Principes pro electione Imperatoris. Sueui igitur et Bauari Conradum fratrem Ducis Friderici elegerunt: Henricus autem Dux Bauariae et Saxoniae imperialia apud ſe tenuit, qui etiam filiam Imperatoris Lotharii uxorem duxit. Anno gratiae MCXXXVIII Conradus de Sueuia LXXXX ab Auguſto imperium obtinuit et XIIII annis regnauit. Hic caſtrum* Nurenberch, *ubi Dux Henricus imperialia clauſerat, uallauit et obtinuit ac inde inſignia imperii abſque ſponte Ducis abſtraxit.*

Chronici Pegauienſis Collationes Tom. III Script. Germ. I. B. Menkenii pag. 130 tradunt: *Anno Domini MCXXV Henricus Imperator nominis huius quintus Rex X Kl. Iunii obiit. Lotharius Dux Saxonum apud Mogontiam Rex eligitur et Aquisgrani benedictione regali ſublimatur. Hic etiam Luttarius dicitur, uir bonus, antiquus, diuitiis pollens, rexit annis XI. - - - - - Anno Domini MCXXVI bellum Bohemiae inter Regem Lotharium et Vdalricum Ducem Bohemiae commiſſum eſt - - - - -, in quo multi nobilium de exercitu Regis ceciderunt. Anno Domini MCXXVII Lotharius Rex apud Merſeburgk Penthecoſten celebrans Vdalricum Ducem Bohemorum in amicitiam recepit - - - - - - et mox ca-*

ſtrum Nurenberch *cum exercitu obſidet; habens ſecum eundem Ducem cum grandi exercitu Bohemorum. Deuaſtata itaque circumpoſita regione per tres menſes Dux praedictus cum ſuis ad propria reuertitur moxque Rex a Conrado fratre Ducis Friderici fugatur. Vnde et Conradus idem nimium inflatus ſuperbia contra ius faſque regiminis nomen uſurpat.*

Anno Domini MCXXVIII Rex natiuitatem Domini Wirciburgk celebrans Embrichonem eidem praefecit Epiſcopum, eiecto Gebehardo, ubi et Conradus Regi rebellis excommunicatur. Rurſum Romae idem Conradus a Papa Honorio excommunicatur. Spira doloſe capitur a Friderico et Conrado Ducibus; Rex etiam mox eandem cum exercitu occupat. Iamque capienda erat, ſed pacem poſtulantibus Rex dextras dedit et obſidibus acceptis dimiſſoque exercitu Rex abiit, qui mentiti ſunt rurſumque rebellant. Anno Dom. MCXXIX Spira a Rege Lothario per nouem menſes continuos oppugnata capitur. - - - - - Anno Dom. MCXXXIV Imperator Lotharius cum exercitu aduerſus ducem Fridericum et Fratrem eius Conradum Sueuiam ingreditur. Villa Vlma funditus deſtruitur. Caſtella et munitiones plurimae euertuntur, tantaque clade tota Suecia, ut nihil ante ſimile factum a cunctis Regibus memoretur. Anno Dom. MCXXXV Fridericus Dux Sueuorum gratiam Imperatoris Lotharii Babenberg acquiſiuit ad curiam media quadrageſima habitam et ex ſententia Imperatoris et unanimi conſenſu Principum pax eſſe decernitur decem annis per regnum uniuerſum, coniurantibus cunctis in id ipſum. - - - - Rurſum Imperator curiam ſuam in Mulhuſſin uilla regia habuit circa feſtum Sancti Michaelis, ubi Conradus frater Friderici Ducis gratiam Imperatoris promeruit, cui quum omnia ſua reſtituiſſet, regiis donis honoratum ad ſua remiſit. - - - - Anno Domini MCXXXVII Lotharius Imperator de Italia reuertitur, ſed quum Germaniae fines intraret, quumque Principes apud Wirziburc eius praeſtolarentur aduentum, infirmitate correptus diem clauſit extremum III Nonas Decembris omni regno de morte ſua relinquens moeſtitiam. Corpus eius a Richinza Imperatrice Saxoniam refertur et apud Lutrenſem Abbatiam ab ipſo conſtructam praeſentibus Saxoniae atque Thuringiae Principibus pridie Kl. Ianuarii regio more ſepelitur. Add. *Chronicon Sampetrinum Erfurtenſe* Tom. III Script. Germ. I. B. Menkenii pag. 209 ſqq.

L

Chronographus Saxo in *Leibnitii Acceſſionibus Hiſtoricis* refert p. 286: *Anno Domini MCXXVI Rex Lutgerus Paſcha Magadaburg celebrauit et prius Boemiam manu ualida ingreditur, ſed mox in ingreſſu a Duce illius gentis per inſidias circumuenitur occiditurque multitudo nobilium de Comitatu Regis cum aliis pluribus.*

Digitized by Google

bus. Adalbertus etiam Marchio cum aliis multis capitur, demum dux cum Rege pacatur, indulta in ipſo exercitu iniuria, ſicque reuertitur. Anno *Domini MCXXVII Luitgerus Rex obſedit* Nurenberch *cum Duce Boemico et non potuit debellare munitionem, quae tamen poſtea ei tradita eſt. Heinricus Dux Bauariorum Gertrudem filiam Regis duxit uxorem.* Eodem *anno XV Kal. Ian. Cunradus frater Friderici Ducis Suauorum regium nomen, machinantibus quibusdam principibus, tyrannice ſibi impoſuit, propter quod a tribus Archiepiſcopis Mogontino, Salzburgenſi et Magadaburgenſi et eorum ſuffraganeis excommunicatus eſt et ab omni Eccleſia anathematizatus.* Anno *Domini MCXXVIII Rex celebrauit Paſcha Merſeburch et Pentecoſten Aquisgrani. Conradus falſo nomine Rex et Fridericus frater illius cum ſuis complicibus a Domino Honorio Papa in Paſchali die extinctis luminibus a Sancta Eccleſia damnati et excommunicati ſunt. Lothario autem Regi expanſis ad caelum manibus benedicebant et eum collaudabant, uitam et ſalutem et pacem uictoriamque ei a Domino exoptantes. - - - - - Spira a Rege poſſidetur, quia Fridericus Dux Suauorum meditans rebellionem cum ſuis eam praeoccupauerat.* Anno *Domini MCXXIX Rex Paſcha Goslariae celebrat et Pentecoſten Quidelingeburch - - - - - - - Spiram Rex iterum firma obſidione circumdedit et honorifice recepit.* Anno *Domini MCXXXI habita eſt Synodus generalis - - - - apud Leodium praeſidente Papa Innocentio cum numeroſa multitudine Epiſcoporum, Abbatum et Clericorum diuerſorum ordinum praeſente Rege Lothario et Regina R. ibique ab ipſo Apoſtolico et omni Eccleſia inibi collecta excommunicati ſunt Petrus Leonis, Conradus et frater ſuus Fridericus cum omnibus fauentibus. Rex Paſcha celebrat in Treuerenſi ciuitate et Pentecoſten in ciuitate Argentina et Bruno eiusdem loci Epiſcopus paſtoralem curam amiſit, Geuehardo ſibi ſuccedente.* Et *quia Fridericus Dux cum illis comprouincialibus Regi maxime conabatur reſiſtere, plurima caſtella in eadem prouincia ab ipſo eodem tempore obſeſſa et confracta ſunt.* Anno *Domini MCXXXIV - - - - - - aſſumtionem Sanctae Mariae celebrat Imperator in Werzeburch et inde cum exercitu Sueuiam intrauit propter Fridericum Ducem et fratrem eius, qui et quoddam oppidum eiusdem regionis Vlma dictum contra eum munierant et ciues ad reſiſtendum eidem incitauerant. Sed Heinricus Dux Bauariorum praeueniens Imperatorem oppidum expugnauit, depraedauit atque incendit absque Eccleſiis, duce et fratre ſuo inde fugientibus et XII de praeſtantioribus captiuos ſecum adducentibus. Poſtea plures ex eisdem comprouincialibus ad Caeſarem confluxerunt, quibus et gratiam ſuam dedit et ipſi e contra ſibi fidelitatem promiſerunt. Deuaſtata autem ex plurima parte regione Imperator ad Fuldenſem Abbatiam diuertit. Fridericus uero Dux cernens, ſe a pluribus derelictum et deſtitutum et ſibi adhaerentes ualde afflictos, neceſſitate compulſus adiit Imperatricem in praedicto loco cum Imperatore degentem nudis pedibus ſatis humili-*

ter flagitans gratiam ipſius ſimulque ſperans, ſe per illam, quia neptis ſua erat, in gratiam Caeſaris deuenturum. Quod et ſic factum eſt. Nam *ipſa fecit eum abſolui per Legatum Apoſtolici, qui ibi tunc praeſens fuerat, ab excommunicatione, qua per ſeptem annos continuos fuit ſeparatus a communione Sanctae Eccleſiae. Primum enim fuerat excommunicatus cum fratre ſuo in Theutonicis partibus a tribus Archiepiſcopis Mogentino, Salzburgenſi et Magadaburgenſi et ſuffraganeis illorum, deinde in ſequenti anno a Papa Honorio et aliis eccleſiaſticis uiris, qui Romae ad Synodum congregati fuerant, in coena Domini, tertio in Leodicenſi Concilio a Papa Innocentio et omni Eccleſia. Receptus eſt in conſortium Sanctae Eccleſiae, magnis Sacramentis ſe obligauit, quod Imperatori fideliter et deuote impoſterum uellet adhaerere et ad proximum placitum coram Principibus gratiam illius cum illorum auxilio exquirere.* Anno *Domini MCXXXV Imperator natalem Domini Aquisgrani et purificationem ſanctae Mariae Quidilingeburch celebrat. Caeſar uenit in Quadrageſima ſicut promiſerat a Bauenberch, ubi facta eſt permaxima confluentia Principum et populi, et Fridericus Dux cum fuit, licet aliquamdiu retinuiſſet gratiam Imperatoris; publice prouolutus pedibus illius humiliter exquiſiuit et mox impetrauit.* Qui *etiam ſe profecturum cum ipſo imperatore in Italiam in proximo anno ſpopondit et pacem per totam Sueuiam, ſicut decretum fuit, firmiter obſeruari praecepit. - - - - Imperator poſt feſtum Sancti Michaelis Mulehuſen uenit, ubi Conradus frater Friderici Ducis Coronae ac totius regalis oblitus ornamentii humiliter per Cunradum Archiepiſcopum Magadaburgenſem ab excommunicatione ſoluitur ac deinde per interceſſionem Imperatricis Caeſaris pedibus prouolutus gratiam illius promeretur. - - - - - -* Anno *Domini MCXXXVII Imperator Tridentinam ueniens feſtum Sancti Martini celebrat gaudens et ibidem infirmari coepit.* Dum *uero cottidie languor ingraueſceret nec ob hoc iter ſuum intermiſiſſet: tandem praeualente mortali infirmitate apud Breduuan uillam in faucibus Alpium conſtitutam II Nonas Decembres a ſaeculo migrauit. Corpus eius in Saxoniam perlatum in ſua propria Abbatia, quae Lutere nominatur, terrae commendatum eſt. - - - - - - - -* Anno *Domini MCXLVII Rex Conradus III in feſto beati Georgii Martyris* Nurinberch *habita curia coadunatis fidelibus, qui ſe uiuificae crucis uexillo ſignauerant, una cum Ducibus Welpone et Friderico aliiſque quam plurimis tam Epiſcopis quam Comitibus Jeroſolymam ire decreuerunt, ut Roas ciuitatem prioribus annis a paganis nocte natalis Domini occiſis Chriſtianis incendio concrematam Chriſtianis reſtituerent uique uires barbarorum minuerent, quia Sanguin quidam nomine multas clades Chriſtianis inferebat ſed heu peccatis exigentibus occulto iudicio Dei, dum magis de ſe quam de Domino praeſumſit, res humanis uiribus coepta fruſtrata eſt effectu.* Add. Chronicon Alberici in Leibnitii Acceſſionibus Hiſtoricis.

M Anony-

M

Anonymus in Chronico Veteri Tom. I Script. Germ. Io. B. Menkenii: Henrico IV imperatore apud Maguntiam exiſtente Henricus filius eius contra eum rebellionem molitur apud radixbonam conſilio bagarorum habens occaſionem, quod pater excommunicatus ab Vrbano Romano Pontifice haberetur pro eo, quod baculum et annulum Pontificibus auferebat. Et in inſtitutione ipſorum aſſumtisque Principibus Saxoniam contra imperium facile commouendam intrauit et Saxones ſuae uoluntati coniunxit. Tunc Rutabardus Maguntinus Archiepiſcopus apud Nortuſam conſilio celebrato Imperatorem (Henricum IV) Simoniacum condemnauit. Poſt haec filius Caſtrum Noricum expugnauit. - - - - - - - - Henricus iunior contra patrem mouet exercitum et pater contra eum. Vtriusque tandem exercitus ſupra Renum fluuium caſtra metatur, Reno in medio exiſtente. Erat autem patris maxima potentia in exercitu Boemorum et in Marchione Auſtriae; quod quum filius conſideraſſet, tam Boroes ducem Boemorum quam Lupordum largiſſimis promiſſionibus ab auxilio patris ſui auertit. Quibus abeuntibus pater debilitatus in campo confuſus diſceſſit. Ab illo itaque die pater imminuitur et filius augetur. Poſtea filius et pater apud Pinguiam collocantur, ubi filius mouet patrem, ut exeat ab excommunicatione, qui petit principes apud Moguntiam congregari ibique coram eis de eadem cauſſa tractari. Itaque petente patre generalis Curia Maguntiae indicitur. Ibique pater et filius omnibus Principibus praeſentantur et praeſentibus Apoſtolicae Sedis Legatis Imperator coram omnibus excommunicatus pronunciatur. Vnde etiam in quodam caſtro cuſtodiae mancipatur. Vbi dum audientiam peteret, Principes eum dolo circumueniunt et quodammodo cogunt, ut filio ſua regalia inſignia non differat reſignare, anno regni ſui LII, imperii uero XL. Reuerſi igitur Principes a patre ad filium imperialia ſigna detulerunt eumque a patre tunc electum denunciantes per manus Legatorum Romani Pontificis creant Imperatorem XCII ab Auguſto. Nota, quod ante hunc Imperatorem non legimus aliquem a Romano Pontifice excommunicatum fuiſſe aut imperio priuatum, niſi forte illud pro excommunicatione reputetur, quod Philippus primus Chriſtianus Imperator ad breue tempus a Romano Pontifice inter poenitentes legitur collocatus, aut illud, quod Theodoſius ob cruentam hominum caedem a liminibus eccleſiae legitur ſequeſtratus. - - - - - - Henricus V Imperator reuerſus in patriam morboque correptus obiit in ciuitate Spira, ubi eccleſiam ſupra dictam compleuerat atque ditauerat. Sepultus eſt iuxta patrem, auum et atauum ſuum anno imperii XIIII. Anno domini MCXXV defuncto Henrico V abſque haerede conueniunt Proceres Maguntiae ibique habito de ſucceſſore conſilio quatuor regni obtinentes ſcilicet Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Sueuorum, Leopardus Marchio Orientalis, Karolus Comes Flandriae ad

regnum deſignantur. Tandem Lotharius Saxo prior omnium renitens ad regnum tractus praeſente Legato Sedis Apoſtolicae XCIII ab Auguſto regnauit. Iſte coepit per omnia humiliare progeniem Henrici Imperatoris, contra quem Dux Fredericus praedictus et Frater eius Corradus nepotes Henrici Imperatoris ex ſorore diu rebellarunt, propter quod Papa Honorius ſucceſſor Calixti eos excommunicauit. Verumtamen praedictus Corradus a fratre ſuo Frederico et a quibusdam aliis factus eſt Rex contra Lotharium, qui cum pauco exercitu intrat Italiam et apud Mediolanum coronam portauit. Deinde ad partes Romanorum proceſſit et tandem rebus exauſtus in patriam remeauit, pacem cum Lothario componens, ut ipſe primus inter principes ſederet et primus uexilla portaret, diuiſo regno quieuit. - - - - - - Lotharius Imperator ex Italia reuerſus Veronae morbo correptus uitam finiuit anno regni ſui XII. Cui Corradus tertius ſupra dictus anno domini MCXXXVIII apud Confluentiam in Maguntiam et Coloniam in Regem eligitur praeſente Epiſcopo Portuenſi Apoſtolicae Sedis Legato XCIIII ab Auguſto. Statim Aquisgrani in ſede Caroli a Principibus conſtitutus, ab eodem Legato eſt coronatus. Saxones tamen et Dux Bauariae Henricus tunc in eum non conſenſerunt. Aſſerebant etiam non Regem legitimum ſed per ſurreptionem creatum. Rex praefigit eis omnibus curiam generalem apud Harabibers, ad quam uenientes ſimul cum Imperatrice uidua Lotharii in gratiam et pacem regis ſunt recepti, excepto ſolo Duce Bauorum Henrico, qui cognominabatur ſuperbus, apud quem inſignia et regalia contumaciter adhuc detinebantur. Erat enim gener defuncti Imperatoris Lotharii et ex hoc tenens regalia ad regnum, quantum poterat, adſpirabat. Cautus uero tandem regalia, i. e, crucem et lanceam reſtituit. Gratiam autem Regis non impetrauit.

N

Petrus Saxius *in Pontificio Arelatenſi* Tom. I *Script. Germ.* ex *edit. Menkeniana* pag. 246: *quum Henricus Caeſar, Burgundiae et Arelates Rex, Pontifici minime dicto audiens eſſet; Rodulphus Burgundiae Dux Auguſtus ab ipſo Pontifice eſt proclamatus. - - - - - - - Sequenti anno ſecunda filiorum perſecutione exagitatus eſt Henricus IV Imperator, Burgundiae et Arelates Rex, et in carcerem coniectus maerore et triſtitia uitam abſoluit, Henrico eius nominis quinto filio ſucceſſore. Palmerius id tradit* (in Chronico): *Henricus proximi Henrici filius fuit et, quum aſſumſiſſet imperium, Henricum Patrem nefando ſcelere carcere macerauit usque ad mortem. Eadem habet Viguerius* (in Chron. Burgund.). *Filium patri conciliatum declarat Veſpergenſis his uerbis: cui* (ſcilicet Henrico) *quum Legati communionem ſeu poenitentiae modum absque generalis Synodi et Apoſtolicae*

ſtolicae Diſcuſſionis cenſura reddere ad praeſens non poſſent, ipſe Henricus partis utriusque conſiliis annuens regalia uel imperialia inſignia, crucem ſcilicet, *et lanceam, ſceptrum, globum atque coronam filii poteſtati tradidit, proſpera illi imprecans, illum primatibus cum multo fletu commendans. - - - - - - Henricus Caeſar ex Germanorum et Burgundiae Arelatei Regum ſtirpe ultimus nullis ſuperſtitibus liberis obiit anno MCXXVI. Lotharius, Saxonum genere natus, eo mortuo Auguſtum nomen tulit: ſtudium illi praecipuum, Henrici nepotes caeterosque, qui Burgundo ſanguine ortos ſe gloriabantur, bello proſequi, quod Otto Friſingenſis declarat - - - - - -; unde praedicti Fridericus et Conradus iuuenes, ſororii Henrici Imperatoris, dum ſe uiderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Arelatenſes tamen in geſtis publicis Caeſarum nomine utebantur. - - - - - - Anno MCXL - - - - Conradus nobili Burgundorum et Arelatenſium Regum ſanguine natus, utpote qui ad Agnetem Henrici quarti filiam, quae Frederico nupſerat Sueuorum Duci, genus ſuum reuocabat, Imperator electus eſt, tertius ab auctoribus appellatus, ſed ſecundus in diplomatis noſtris. Hic non tantum Auguſti nomen tulit, ſed Burgundiae et Arelates Regis.*

O

Annales *Augſtburgenſes* Tom. I *Script. Germ.* ex *edit. Menkeniana* pag. 1414: *Henricus quintus, licet eos, qui a parente diſcedere noluerant, inter quos* Noriberga *funditus euerſa dicitur, puniiſſet; toto tamen pectore, quibuscunque potuit conatibus, ſuper praemiſſa contumelia uindictam uolutare non deſiit. - - - - - Anno MCXVIII factum, ut Friderichus II Waiblingenſis et Vnoculus uocatus ſtrenuiſſimo patri in Sueuiae Ducatu auunculi Caeſaris authoramento fortiſſime ſucceſſiſſet ac frater germanus ipſius Chunradus ab eodem auunculo Franconiae Ducatum contra Herbipolenſem Epiſcopum Erlongum quoque obtineret. - - - - Interea memoratus Imperator iterum atque iterum a Paparum excommunicationibus abſolutus Vltraiecti ex dracunculi morbo innato diutiſſimeque celato XII Kal. Iulii ortus periit ac Spirae maiorum monumentis pro more illatus eſt. Inde ſub finem Auguſti anno Chriſti MCXXV Lutherus II Simpelburgenſis Supplenburgenſisue Saxoniae Dux Pontificis Maximi conſilio (cuius ſedi ſe primum is penitus ſubiecit omnemque tyrannidem illi in Germaniae Antiſtites confirmauit) fraudulento autem Alberti Moguntini et Chunradi Saltzburgenſis Archimyſtarum aſtu imperium apud Germaniam inuaſit ac idibus Septembris a Friderico Colonienſi Metropolita Aquisgrani Caeſar coronatus fuit, cui continuo Friderichus Sueuus cum Chunrado Franco fratre (apud quos imperialia ornamenta ſacraque inſignia poſt auunculi ipſorum obitum in arce Hamerſteino collocata remanſerant), quod indignius repulſam eſſent*

paſſi,

*paſſi, rebellare non omnino iniuſte coeperunt. Ipſusque Chunradus protinus Modoetia ab Anshelmo Archiepiſcopo Mediolanenſi Italorum Principum praeſentia ferream coronam accipiens Rex Romanorum eſt dictus, licet Honorius II Papa praeſtigiator anathemate optimum principem propterea notarit Anshelmumque officio ſuſpenderit. Lutherus Caeſar itaque malo nodo malum cuneum quaerens coactis Reginoburgi Comitiis unicam, quam habebat, ex Rychſa Northemia uxore filiam Gertrudem nomine Heinricho Altorfenſi Catulo, h. e, Welſo dicto, qui Brandenburgenſem Marchionatum ab Albrechto Vrſo Comite Aſcaniae iam comparauerat, Boiariae Duci in matrimonium opis gratia elocauit. Atque eo pacto permagnam Sueuiae partem ferro et flamma depopulatus eſt ac tandem Vlmam, quod Friderich parere, armis obſedit; qua aegre expugnata penitusque anno Domini MCXXIX diruta, licet Augſtburgenſi Ciuitati incommoda illata fuiſſe nulla legamus, pauore tamen uicinorumque moleſtiis nec non terrae motu, qui per eam tempeſtatem hic fuit, illam non penitus caruiſſe certo coniicimus, praeſertim quum poſtea praedictus Fridrichus Sueuus, exuſtis Rauensburgo et Memminga, patria ſua a Boiis eſſet pulſus. - - - - - - Redeunte Luthero Imperatore ex Italia - - - - - - in gratiam cum ipſo, ſancto Bernhardo reconciliante, redierunt Fridericus Sueuus et Chunradus Francus fratres illique Pabergae in publica curia - - - - - inſignia imperii non ſine totius uiciniae noſtrae tranquillitate emolumentoque reddiderunt. - - - - Caeterum quum anno ſalutis MCXXXVIII Lutherus ſecundus Imperator - - - - - - in Germaniam reditum parat: ſuperatis pene Tridentibus Alpibus ex peſtilentia in Brenduae ſiluae uili caſa inter Oeni et Lechi fluenta III Kal. Nouembr. ſiue, ut alii uolunt, VIII Idus Decembris deceſſit. Cuius exanime corpus Heinrichus, Boiorum, Saxonum et Thuſcorum Regulus, ſuperbus haud abs re dictus - - - - - Augſtburgum transuehi et inde in Saxoniam ad monaſterium Caeſariam Luthram deportari curauit, plenus regii culminis ſpe. Germaniae tamen proceres - - - - Chunradum III - - - - Caeſarem ſalutarunt. - - - - Henricus ſuperbus imperialia ornamenta, coronam uidelicet, crucem et lanceam ſacram, quae apud ſocerum reperta adhuc ſeruabat, III Kal. Iul. MCXXXIX Reginoburgi in comitiis Chunrado Caeſari reddidit. - - - - Anno MCXL - - - - Henricus ad ſeſe purgandum reſtituendumque Caeſari Hetbruriam et No*ribergiam *citatus cum magna equitum ui uenit. - - - - Caeſar - - - Wirzburgi - - - Henricum condemnauit et Goslariae proſcripſit.*

P

Anonymus *Saxo* tradit in *Hiſtoria Imperatorum Tom. III Script. Germ.* ex *edit. Menkeniana* pag. 86: *Anno gratiae MXXV Conradus de Suauia frater Ducis Heinrici octogeſimus quintus ab Auguſto imperium ſuſcepit et in eo XV annis regnauit*

regnauit. *Huic Principes contrarii erant, ſed Dux Burgundiae Wernerus ipſi praeſidio affuit, qui Epiſcopis proprietates et Laicis Principibus alta feuda permiſit. Ex tunc autem Principes in tantum auaritiae ſunt dediti, quod de caetero propter pecuniam ſolum Romani Reges ſunt electi. Dux igitur Henricus frater Conradi Regis fortiter ei reſtitit et frequenter bella contra imperium ſuſcitauit. Rex igitur Ducem de terra Teutoniae expulit, at ille in obſequium Regis Vngariae transmigrauit. Idem uero Rex Vngariae Duci Henrico in Paraſceue carnem comedendam transmiſit ſuper menſam, mandans ei, quod tutius eo die carnes poſſet edere, quam fratrem et dominum ſuum bellis infeſtare. Tunc Dux Henricus gratiam Conradi Regis obtinuit, ita quod* Nurenberch *imperio reſignauit.* Huc *ego non poſſum non* tranſcribere *uerba*, quae *Vir Illuſtris Io. Burkh. Menkenius* in *praefatione Tom. III Script. German.* ad *Anonymi Sax. Hiſtoriam* ſincere cordateque *publicauit* ita: *non indignum eſt memoratu, quod Anonymus Saxo in Hiſtoria Imperatorum pag. 86 refert, Conradi II fratrem Henricum Ducem Sueuiae, antea rebellem,* Noribergam *Imperio reſignaſſe;* unde *ſaltem patet*, eam *iam ante Conradi III tempora fuiſſe liberam Imperii urbem*, nec quicquam *inde roboris accedit ſententiae illuſtris Ludeuuigii, qui eam olim fuiſſe municipium Bauariae ac deinde Sueuiae aſſerit, quum euidens uideatur, Henricum eam antea per turbas fratri motas imperio eripuiſſe.* Sic etiam *Hermannus Cornerus* ſcribit in *Chronica Nouella* ex *Io. Georg. Eccardi* Corpore Hiſtor. T. II pag. 569: *Conradus II Romanorum Imperator fratrem ſuum ſibi rebellem ab Alemannia fugauit in Vngariam, qui poſt ſibi reconciliatus* Nurenberg *urbem et caſtrum imperio reſignauit.*

Q

Vdalrici *Babenbergenſis Codex Epiſtolaris* Tom. II *Corp. Hiſtor.* ex edit. *Io. G. Eccardi* pag. 358: *G. Dei gratia Sanctae Rauennis Eccleſiae Miniſter licet indignus nunc uero Apoſtolicae Sedis Legatus et I. Fauentinus Epiſcopus uenerabili Fratri Ottoni Babenbergenſis Epiſcopo orationem et fraternam in Chriſto dilectionem. Veſtrae paternitati notificamus, quod per gratiam Dei ſoſpites et alacres ſumus Wurceburch et ibidem indictam Curiam expectamus. Sed quum in praefato loco eſſemus: de Caſtro* Nurinberc *ſiniſtra quaedam audiuimus, unde miramur et facti dolemus. Quapropter uobis rogando mandamus, ut uera noua, quae audiſtis uel quicquid exinde ad praeſens ſcire poteſtis, nobis inſinuare dignemini.*

R

Vdalrici Babenbergenſis Codex Epiſtolaris Tom. II Corp. Hiſt. ex edit. I. G. Eccardi pag. 358 : *Lothario illuſtri et glorioſo Romanorum Regi Conſules Romani et alii Principes ſalutem et proſperitatem. Nos in ſeruitio et fidelitate beati Petri et Domini Papae Honorii perſiſtimus et, quod placeat ei, amamus. Certis autem experimentorum rationibus agnouimus, quod ipſe uera in Domino caritate perſonam tuam diligit et ad honorem suum manutenendum et exaltandum affectu paterno intendit. Quamobrem nos de exaltatione tua ad regnum gaudemus, hoc optantes, ut, quod de te bene incoeptum eſt, citius, annuente Deo, perficiatur. Vnde ſuper tarditate tua ſatis miramur. Hac ſiquidem occaſione C. ille Longobardiam ingreſſus regnum Italicum nititur occupare. Eapropter praeſentibus litteris prudentiae tuae mandamus, quatinus aliis omiſſis, omni occaſione ſepoſita, proxima uentura hieme ad praeſentiam Domini Papae uenias, ab eo dignitatis plenitudinem et honorem imperii praeſtante Domino recepturus. Nos interim diligenti ſtudio operam dabimus, quatinus populus Romanus ad Te, ſicut decet, honorifice ſuſcipiendum ſit paratus.* Porro legimus pag. 361 : *Domino ſuo L. Dei gratia Romanorum Regi Auguſto L. Nouarienſis eccleſiae ſeruus ſeruitii pro facultate conſtantiam et perpetuam de inimicis uictoriam. - - - - Excellentia ueſtra pro certo cognoſcat, quod Nouaria, Papia, Placentia, Cremona et Brixia, ciuitates Italiae, firmiter fidelitatem ueſtram cuſtodiunt et aduentum ueſtrum unanimiter cupiunt. Cunradus autem Mediolanenſium idolum ab eis tamen relictum, qui arrepta fuga ſolum Parmae habent refugium, ubi tam pauper tamque paucis ſtipatus uiliter moratur, quod ab uno loco ad alium uix fama eius extenditur.* Item pag. 362 : *Reginae Sereniſſimae Dominae ſuae ſemper auguſtae B. Dei gratia id quod eſt fidele ſeruitium et deuotas orationes. - - - - - De* Nurenberc *quoque diſcretionem ueſtram moneo, quatinus aut per nos aut per idoneos legatos, quod laudatum et iuratum eſt, requiratis et cauſſam noſtram in partibus illis diffiniatis.*

S

Franc. Dom. *Haeberlin in ſchediaſmate Hiſtorico* de *diſſidiis ex electione Lotharii Saxonis Imperat. Germaniam turbantibus* Goettingae 1745 typis exſcripto rem ita narrat : *Henricus V, qui d. 23 Maii A. C. 1125 oculos clauſit, morti uicinus imperii inſignia Imperatrici Mathildi aſſeruanda committebat, quam uero Albertus Moguntiae Archiepiſcopus uariis promiſſis poſt mortem Henrici V eo adegit, ut illa ſibi redderet. Anno Chriſti 1125 feſto Bartholomaei die,* h. e. 24 *Aug. conuenerunt regni Proceres et die* 30 *Aug. operam cumprimis in-*

ter-

terponente Alberto Moguntino Lotharium elegerunt. Lotharius Aquiſgranum et inde Ratisbonam et hinc Argentinam profectus eſt. Iam uero factam eſt ab Anno 1126, *ut Lotharius ex odio contra Fridericum uariorum moliminum accuſatum Goslariae expeditionem decerneret. Inde, quum ex Bohemia non ſine multa ſuorum clade rediret et Magdeburgum ſe conferret, in Fridericum caſtra mouit, ſed illo in munitiora loca ſe recipiente, Lotharius infecto negotio redire cogebatur. Creſcentibus imperii diſſidiis Lotharius ad A. C.* 1127 *filiam ſuam unicam Gertrudem Bauariae Duci Henrico Magnanimo nuptum collocabat et inde* Norimbergam *obſidebat adiutus Bohemorum opibus generique exercitu magno, cui Saxoniae Ducatum ut et* Norimbergam *et Gredingam infeudum dedit. Sed* Norimbergam *tanquam haereditario iure ad ſe ſpectantem tunc temporis Fridericus et Conradus poſſidebant ibique praeſidium locauerant. Vrbe itaque per duos continuos menſes obſeſſa et circumiacente regione per tres menſes diriſſime uaſtata et quidem per Bohemos, quos ea propter Lotharius dimittebat, dum oppidani fortiter ſeſe defendebant, Conradus inſuper et Fridericus cum ualido exercitu urbi ſuppetias laturi appropinquabant, Lotharius ſoluta obſidione inglorius diſcedebat atque Bambergam tranſiens Herbipolin ſe conferebat, quem Conradus et Fridericus inſequentes manum cum eius exercitu conferebant eoque profligato ad moenia usque urbis Herbipolitanae procedebant. Tum Conradus et Fridericus, fugato Lothario, Rhenum tranſibant Spiraeque praeſidia collocabant. - - - - Proſpero rerum ſucceſſu elatus Conradus impoſitum ſibi a fratre Regis nomen publice aſſumebat et quidem d.* 18 *Decembr. A.* 1127. * *Quamprimum autem Lotharius Herbipoli adhuc latitans ibique Natale Domini celebrans hac de re certior fiebat, anathematis fulmen per Albertum Moguntinum, Conradum Salisburgenſem et Norbertum Magdaburgenſem Archiepiſcopos eorumque ſuffraganeos in Conradum eiusque fratrem euibrandum curabat. Inter Principes Germaniae Eccleſiaſticos a partibus Conradi ſteiſſe Meginherum, Treuirenſem Archiepiſcopum eumque eapropter Romam eſſe profectum ex Annaliſta Saxone colligi poteſt, uerum e geſtis Treuerorum et Golſchero patet, Meginherum longe ob alias cauſſas Romam iuiſſe atque a Conrado tunc in Italia degente in uia interceptum et carceri mancipatum fuiſſe. Clarius hoc patet de Friderico, Colon. Archipraeſule, quippe quem inde ab A.* 1127 *per duos annos inimicitias in Lotharium exercuiſſe, Scriptores diſertis teſtantur uerbis. Ottonem Epiſcopum Bambergenſem clam Conrado fauiſſe non immerito coniicio ex intermiſſa ab eo Conradi excommunicatione et abſentia a curiis Lotharii. Pari probabilitatis gradu inter Conradi aſſeclas referre poſſumus Gebhardum Herbipolenſem, Brunonem Argentinum, Hermannum Auguſtanum, Bertholdum et poſtea Henricum Baſileenſes et Henricum Ratisbonenſem Epiſcopos. De Vdalrico Conſtantienſi Praeſule Manlius affirmat, eum Conſtantiam ab Henrico Magnanimo A.* 1128 *obſeſſam fortiter cum ciuibus*

 defen-

defendiſſe, quo in aſſerto autem Manlii auctoritas nimis leuis mihi uidetur. E Principibus Saecularibus Conradi partes maxime tutatus eſt Fridericus frater, Dux Sueuiae. Nec Bauariae Proceres, quos inter Otto Comes de Wolfratenhauſen diſerte nominatur, ab eo alienos fuiſſe, ex eorum diriſſimo bello cum ipſorum Duce Henrico geſto colligi poteſt. In hunc cenſum porro referendi ſunt Leopoldus IV Marchio Orientalis, qui Conradi matrem Agnetem duxerat, Godefridus Barbatus, Dux Brabantiae, Gerhardus Comes Geldrenſis, Adelbertus Marchio, ſub quo Albertum Vrſum intelligi facile liquet. Denique et huc ſpectat Conradus Dux Zaeringiae et Adelbertus quidam tyrannus. Inter praecipuas Germaniae urbes Conrado adhaeſiſſe Norimbergam, Auguſtam, Ratisbonam, Vlmam, Spiram et Coloniam ex iam dictis apparet et ex adhuc dicendis melius pateſiet. Maxima ergo Germaniae pars Conrado ſucceſſu temporis et nonnunquam fauebat ſed minime in fide eius conſtanter permanebat. Anno 1128 Lotharius Paſchatos feſtum Merſeburgi celebrabat, in qua feſtiuitate Romae Conradus cum fratre Friderico omnibusque ſuis complicibus a Papa Honorio II extinctis luminibus excommunicabatur. Lotharius, licto Merſeburgo, iter faciebat Aquisgranum ibique Pentecoſtali tempore agens circa feſtum S. Ioannis Baptiſtae expeditionem contra Conradum mouebat. Tum Lotharius iuncto ſibi Alberto Moguntino Spiram obſidione cingebat eamque ab Idibus Auguſti usque ad Calendas Nouembris oppugnabat. Quum autem Spirenſes urbem ſuam fortiter defenderent: mediante Alberto Moguntino factum eſt, ut Lotharius, acceptis de eorum fidelitate obſidibus circa Martini feſtum diſcederet. Conradum interea cum paruo exercitu aduentantem Mediolanenſes magna cum pompa tanquam Regem ſuum naturalem, i. e, haereditarium ſuſceperunt. Anſelmus de Puſterula Mediolanenſis Archiepiſcopus Conrado coronam regni Italici Modoetiae in Eccleſia S. Michaelis feſto S. Petri die, i. e, d. 29 Iun. A. C. 1128 ſolenni pompa impoſuit hancque coronationem poſtea Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii repetiit. Anno Domini 1129 Lotharius in feſto Purificationis Mariae Coloniae morabatur, inde Goslariam ibat ibique Paſchali tempore ſubſiſtebat, tum frequentem Principum Conuentum Corbeiae ad Viſurgim agebat. Inde Quedlinburgum delatus poſt Pentecoſten expeditionem mouebat in Spirenſes Spiramque ab Idibus Iulii fortiter oppugnabat, donec tandem Spirenſes conſtantiam Lotharii uidentes, qui feſtum Ieſuli nati ſub tentoriis celebrabat, d. 28 Dec. A. 1129 Regi ſeſe traderent. Lotharius uictor in urbe Spirenſi Epiphaniam Domini celebrabat. Spira relicta A. 1130 d. 9 Febr. Goslariae feſtum Paſchatos agebat atque inde Quedlinburgi in feſtiuitate Pentecoſtali ſubſiſtebat, hinc in Bauariam progreſſus et Ratisbonae paullulum moratus eſt. In hac expeditione Noriberga ad obſequium tandem fuit reducta. Poſtea Lotharius quum Concilio Leodienſi A. 1131 intereſſet: Moguntiam et inde Argentinam pergebat, expeditionem mouens in Fridericum,

ſum, ubi plurima Alſatiae caſtella ſolo aequauit. Relicta Colonia A. 1132 Bambergam et inde Coloniam tandemque Herbipolin digreſſus cum modico exercitu in Italiam peruenit ibique ſummo honore acceptus et coronatus rediit in Germaniam et in urbe Herbipolitana numeroſam curiam habuit tandemque ſub finem Anni 1133 Coloniam profectus natale Domini celebrauit. Anno 1134 Lotharius Imperator Halberſtadii et Merſeburgi illincque Magdeburgi commoratus Sueuiam ingrediebatur Vlmaque expugnata et deleta Fuldam diuertebat et Bambergae in Conuentu Principum Germanicorum A. 1135 Fridericum Sueuiae Ducem in gratiam recipiebat tandemque poſt feſtum S. Michaelis in uilla Mulhuſana Conradum Friderici fratrem gratia donauit ſua. De caetero ſi licet meum de hiſce diſcordiis iudicium ſubiungere, hoc eſto. Germania equidem noſtra formam regni electitii induerat: uerum negari non poteſt, Principes noſtros, uacante ſolio imperiali, reſpexiſſe ad defuncti ſobolem aut ad illius proximos uel agnatos uel cognatos. Hinc magnam utique iuris ſpeciem ad ambiendum regnum habebat Fridericus quippe proximus Henrici V Imperatoris Cognatus et haeres. Excuſari porro neutiquam poteſt, quod Lotharius odio Alberti Moguntini, quod hic in fratres Sueuos conceperat, tantum apud ſe dederit, ut et ipſe horum fratrum potentiam attenuare eorumque iura bono iuſtoque titulo poſſeſſa infringere omni ſtudio allaboraret. Neque etiam Friderici et Conradi auſus ab apertae rebellionis labe liberari poterunt. Agnouerant enim omnes Germaniae Principes Lotharium legitimum Regem ac Dominum, Fridericus inſuper paullo poſt electionem ei fidem ſuam palam adſtrinxerat, ideoque, ſi ipſi legitimae contra iniuſtam Lotharii uim et oppreſſionem querelae ſuppetiiſſent, Principes regni adire, de minus legitima iurium ſuorum infractione queri remque Procerum iudicio ſubiicere, non autem ſtatim ad arma prouolare, multo minus regios honores uſurpare debuiſſent et Fridericus et Conradus. Haud enim Principibus noſtri imperii licet iura ſua gladio uindicare aut dirimere, quum ſuperiorem habeant et prima Societatis principia iubeant, quo minus ciues bella inuicem gerant ſed litium ſuarum deciſionem conſtituto Capiti permittant. Quae quum ita ſint: Lotharius non potuit non rebelles et immorigeros regni ſui Principes armis ſpiritualibus et temporalibus ad obſequium reducere. Qua in re iuſtam ipſius cauſſam adiuuit euidentiſſimum Numinis auxilium; quum ſcilicet iuſta Dei Nemeſis tot ac tantis cladibus Fridericum et Conradum affecerit, hos ſuperbos deiecerit, his contumacibus contraiuerit, ut tandem ſupplices Lotharii Victoris gratiam implorare cogerentur. Ita ſcribit Haeberlinus in Diſſertatione iam citata: ſed ego non poſſum non ex amore ueritatis proferre ea, quae caeteris paribus in contrarium ſentio. Primum igitur Haeberlinus praeſumit pag. 15 Diſſert. ſupra laudatae not. f. contra Leibnitii et Felleri ſententiam, potuiſſe fieri, ut Lotharius urbem Norimbergam Bauarico Ducatui confinem maximeque opportunam Henrico poſt eius expugnationem

tradendam promiſiſſet ipſumque cum ea interim infeudaſſet, pari ratione ac cum Ducatu Saxonico infeudauit, quem tamen demum A. 1136 *obtinuit Henricus noſter.* Sed *reſpondeo, non ex iure Lotharium potuiſſe* Norimbergam *Henrico in feudum concedere; quia ſemper ante et poſt Lotharium imperio reſtituta fuit.* Deinde *etiam Haeberlinus pag. 55 Diſſert. affirmat, Friderici et Conradi auſus nequaquam ab apertae rebellionis labe poſſe liberari; quum tamen negare non auſit, Lotharium ex odio uehementer allaboraſſe, ut fratrum Sueuorum potentiam attenuaret eorumque iura legitime poſſeſſa infringeret.* Verum *enim* uero, *quum ex relatione electionis Lotharii conſtet, multos fuiſſe conqueſtos de tumultaria electione Lotharii, poſtea uero Alberti Moguntini perſuaſionibus captos fuiſſe ita, ut aſſenſum praeberent ſuum, deinde autem, quum uiderent, Fridericum ex odio iniuſte accuſari, damnari et premi, in ſuas clam et palam deſciuiſſe partes: quis non agnoſcit Fridericum et Conradum fratres non tam contra Lotharium inſurrexiſſe quam a ſe ſuisque partibus iniuriam et uim propulſaſſe illincque uero ex afflatu rerum proſperarum elatos licentius impotentiusque ſeſe oſtendiſſe? Tali modo factum eſt etiam, ut tanto lubentius benigniusque in gratiam reciperentur; quum alias tanquam rebelles iuſtam ſibi contraxiſſent poenam.*

T

Diplomata *Wormatienſia, quae ab Henrico IV et V Wormatienſibus conceſſa ſunt*, proſtant *in Tabulario Wormatienſi* illincque *excerpta leguntur in operibus Lunigii.* Sed, *ut Lectoribus meis aequis iuſtisque Cenſoribus fidem oculatam ex oculato teſtimonio faciam*, dicta *iam et allegata* diplomata, *quae dilectiſſimus omnium cariſſimusque Frater* Io. Leonhardus Roederus *Scholae Wormatienſis Lutheranae Conrector fidiſſimus* ex autographo *gnauiter induſtrieque deſcripſit, publice ſincereque* communicabo. En autem *priuilegia ad uerbum exſcripta!*

Priuilegium ſuper exemtionem telonii Henrici Regis Quarti

In *nomine ſanctae et indiuiduae Trinitatis Henricus diuina fauente clementia Romanorum Rex. Regiae poteſtatis eſt et pietatis omnium ſeruituti congruis reſpondere beneficiis, uidelicet ut qui in ſeruitii deuotione ſe exhibent promptiores, in ſeruitii etiam remuneratione ſe indicari digniores gaudeant et ſublimiores, inter quos Wormatienſis Ciuitatis habitatores non minima ſed maxima et ſpeciali remuneratione dignos, quum omnibus cuiuslibet urbis ciuibus digniores, indicauimus,*

quos

quos in maxima regni commotione maxima et ſpeciali fidelitate nobis adhaeſiſſe cognouimus, quum nec uiua nec litteris notata nec per nos nec per nuncium uel aliqua uoce illos in hanc tam egregiam fidelitatem attraxerimus, quam idcirco tam egregiam diximus, quod, cunctis regni Principibus in nos neglecta fidei religione ſaeuientibus hi ſoli quaſi in mortem ruentes contra omnium uoluntatem nobis adhaeſere. Nam quum ſingulae ciuitates quaſi immo uere in noſtrum aduentum clauderentur, dum uigilum cuſtodiae per uices diſtribuerentur, dum Cerere et ferro tutandae nocte et die circumirentur, ſola Wormatia communi ciuium fauore omnigenum armorum munitione noſtro aduentui ſeruabatur: ſint ergo ſeruitii remuneratione primi, qui in ſeruitii deuotione extiterunt non nouiſſimi, ſint omnibus exemplo in debita ſeruitii reſponſione, qui omnibus praeſtant in ſeruata fidei religione, ſint omnium ciuitatum habitatores regiae munificentiae ſpe laetificati, quam Wormatienſes ipſa re ſunt conſecuti, diſcant omni Regi ſeruare iſtorum imitatione fidelitatem, quam in iſtorum utilitate Regis probant benignitatem, quae quidem utilitas paucis uerbis comprehenditur ſed in earum conſideratione non leuis ſed grata et honorabilis computatur, teloneum ſiquidem, quod Teutonica lingua interpretatum eſt Zol, quod in omnibus locis regiae poteſtati aſſignatis, uidelicet Francheneuort, Boparten, Hamerſtein, Drutmunne, Goslariae, Angere Iudaei et caeteri Vormatienſes ſoluere praetereuntes debiti erant, Vormatienſibus, ne ulterius ſoluant Zol, remiſimus, in Principum noſtrorum ſcilicet Lipmari, Ammapurgenſis Metropolitani, Ibonis Nuimburgenſis, Diederici Virdunenſis, Herimanni Babenbergenſis, Burckharti Baſilienſis Epiſcoporum caeterorumque Chriſti fidelium noſtrorumque praeſentia firmauimus, quam firmationem ſuper praefati Zol remiſſione factam, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum uidelicet Regum ſeu Imperatorum infirmare uelit, rogamus et pro ſui facti cuiuslibet optanda ſtabilitate obligamus, qui, quod abſit, in quo nos infirmat, ſe et quod fecerit, infirmari credat. Hanc igitur firmationem, ut infra uidetur, noſtra manu in hac carta, quam ſcribi iuſſimus, inſcriptam et noſtri ſigilli impreſſione inſignitam omnis generationis tam futurae quam praeſentis notitiae reliquimus. Signum Domini Henrici IV Regis humillimi et inuictiſſimi. Adalbero Cancellarius uice Sigfridi Archicancellarii recognoui. Datum eſt XV Cal. Febr. Anno Dominicae Incarnationis Mill. LXXIII Indict. XII anno autem ord. Domini Henrici IIII Regis XVIIII. regni uero XVII. Actum eſt Vormatiae feliciter in Dei nomine

Heinricus Di gra. rex

Aliud

Digitized by Google

V

Qui plura *colligere uult* teſtimonia de *Lothario* aliisque *Imperatoribus* huc pertinentibus, is euoluat *Muratorium Script. Ital.* et *Henricum Caniſium Lect. Antiqu.* itemque *Pagium in Critica Baroniana* et *Ordericum Vitalem Hiſt. Eccleſ. L. XII in du Chesne Script. Norm.* Add. *Hahn* et *Schmau.* in der Reichs=Hiſtorie. Sed tamen *ut ex his pauca excerpam*, tranſcribo uerba, quae *ex Landulphi Iunioris Hiſtoria Mediolanenſi, Tom. V Murat. Script. Ital. pag.* 510 *et ſeqqu.* deſumſi: *Anſelmus in Caſtellis habitans intellexit, quod Clerus et Populus Mediolanenſis nobilem Principem Conradum cum Eccleſiaſtica pompa et ciuili triumpho conueniente Regi naturali ſuſcepit.* Quum *autem Clerus et Populus idem de coronando Rege ipſo tractaret: Pontifex idem Anſelmus a Leuco deſcendit ad Modoetiam, qui eſt primus locus Coronae Regis Italiae ibique pernoctauit et conſilium redeundi ad montana ſuſcepit.* Et *poſt trium dierum interpoſitionem Caſtellum, quod dicitur Plebia, aſcendit, ibi plures ſonos ſonoros de coronando Rege Conrado audiuit.* Et *ego non in amaritudine ab ipſo Pontifice audiui, ut citiſſime Mediolanum adirem et affectum ciuium omnium ſuper huiusmodi regale negotium ſibi renunciarem.* Tunc *Vuiſredus Aboriti et Armiger eius a ueſpera hora diei usque ad ſolis ortum mecum et cum puero meo requiem non habuit ſed ad plenitudinem Concionis Cleri et populi conuocatam et congregatam Mediolani quaſi in hora tertia perueni, ubi Clerus et populus quaſi homo unus ampliſſime et mirifice collaudauit et conclamauit, ut Archiepiſcopus ueniret et Principem illum coronaret.* Ad haec *quoque Rogerius Ciuellus nobilis miles et potens populo circumſtante ait: per corpus Domini, niſi uoluntas Dei eſſet, ut hic nobilis Dominus coronaretur, iſte benedictus Populus nequaquam ad laudem eius ita concorditer clamaret.* Cauſa *itaque iſta ſic collaudata et ſtatuta Anſelmus de Badaglo Subdiaconus ordinarius, Guido de Landriano electus Capitaneus, Guerenzus de Puzobonello Valuaſor ſtrenuus, Rubacaſtellus ciuis et eques nominatiſſimus ex parte totius Cleri et Populi legationem de collaudato et coronando Rege Conrado Pontifici Anſelmo contulerunt.* Qui *quum eſſet in Caſtro Plebiae et intendiſſet ſuper horum legationem et meam relationem, feſtinauit ad urbem.* De *caetero ipſe quaſi conſentiens communi omnium gentium uoto in Eccleſia Sancti Michaelis, quae eſt Modoetiae, benedixit et unxit et coronam electo Conrado in Feſto Sancti Petri poſuit, altero Epiſcopo aſtante Regi coronando.* In *quo facto ego quippe piger non fui, ſed ante ipſum Pontificem ipſumque coronatum ab Eccleſia Sancti Michaelis Pontificalem uirgam in admirabili pompa per Dei uoluntatem congregata ad honorem illius Regis usque ad Eccleſiam Sancti Ioannis bona cum uoluntate portaui et in Sancti Ioannis Eccleſia ſolemniter cum Rege iſto quam optime Miſſam audiui.*

 Eandem

Eandem *quoque ſolemnitatem coronationis idem Pontifex in Eccleſia S. Ambroſii celebrauit.* Verum *tamen quicquid directe eſt actum in illo Domino meo Rege, dilexi et diligo.* Hunc *namque gradientem per Comitatus et Marchias Lombardiae et Thuſciae Comites et Marchiones cuiuscunque nobilitatis uiri potentes et humiles cum gaudio ſuſceperunt et amarunt.* Qui *uero rebelles fuerunt, eius acutiſſimi gladii fortitudinem ſenſerunt atque mortem et confuſionem.* - - - - Pagi ſcribit *Tom. IV Critices Baronianae* ad *A.* 1125 ita: eodem anno in hebdomada Pentecoſtes (quod feſtum hoc anno in diem XVII menſis Maii incidit) *Karolus - Henricus V Imperator mortuus eſt et Spirae Metropoli Germaniae ſepultus eſt. Imperii uero inſignia moriens Caeſar Imperatrici Mathildi dimiſit, quibus poſtea, quia nulla ſoboles illi ſuperfuit, Lotharius Dux Saxonum generali plebis edicto inthronizatus ſucceſſit. Moguntinus enim Archiepiſcopus* (nempe Adalbertus) *qui potentia et ſtrenuitate pollebat, prouidentiaque ſua, ne ſchiſma uel inordinata ſurreptio imperii fieret, praecauebat, Epiſcopos et Proceres totius regni cum exercitibus ſuis conuocauit, cum quibus una collectis de Imperatore conſtituendo tractauit. Inſignia ſiquidem ab Imperatrice procurauerat ornamenta imperii, antequam praeſumſiſſet de tanto negotio fari. Excellentiſſimi,* inquit, *Barones, qui adſiſtitis in hac planicie, me, quaeſo, ſolerter audite et prudenter intendentes his, quae dicam, obedite. Pro commoditate omnium ueſtrum et plurimorum, qui non adſunt, laboro. et nocte dieque anxius cogito. Multis ſermonibus hic modo non opus eſt. Bene noſtis, Imperator noſter ſine prole defunctus eſt: cui Deo fidelis et deuotus Eccleſiaeque filiis utillimus ſucceſſor ſapienter inquirendus eſt.* - - - - - - - - - - *Diſſoluto conuentu exercitus Friderici ſuper Lotharium irruit ipſumque et plurimos de parte illius uulnerauit et terga uertentes fugauit. Fredericus* enim *armatorum fere XXX millia ſecum adduxerat, quia timore uel fauore ſeſe Regem fore autumabat. Sed quia probi Pontificis ingenio praeuentus, ut dictum eſt, uelle ſuum perpetrare nequiuit, per Conradum fratrem ſuum maximam poſtmodum guerram fecit. Lotharius tamen auxiliante Deo praeualuit meritoque ſtrenuitatis et religionis laudabilis iam X annis regnauit.* Ad *annum Chriſti* 1138 tradit: *Imperator ab Italia reuerſus apud Trientinam ueniens feſtum S. Martini celebrauit gaudens et ibidem infirmari coepit dumque quotidie languor ingraueſceret, nec ob hoc iter ſuum intermiſiſſet, tandem praeualente mortali aegritudine apud Breduuan uillam in faucibus Alpium conſtitutam mortuus eſt.* - - - *Henricus Bauariae Dux, qui ſocero morienti adſtabat, inſignia imperialia,* h. eſt, *coronam, ſceptrum, gladium et crucem, quae Caroli Imperatoris Magni fuiſſe traduntur, ſibi cum imperio uſurpare nitebatur.* - - Dies *Lotharii* emortualis *in controuerſiam* uocatus: *Dodechinus* enim *Abbas ait, Lotharium III Kal. Decembr. defunctum eſſe,* ſed *ſtandum Alberto Stadenſi in Chronico, Chronographo Magdeburgenſi* et *Sigonio LXI Hiſt. Reg. Ital.* qui

eum

eum III Nonas Decembr. diem obiiſſe ſcribunt; *praeſertim quum Chronographus Hildesheimenſis, qui ad annum MC XXXVII Chronicon ſuum abſoluit, referat, eum II Nonas Menſis Decembr.* i. e, *die quarta Menſis Decembris e uiuis exceſſiſſe, quod et Trithemius laudatus habet*; ex *hoc* enim *unius diei diſcrimine intelligimus, Lotharium nocte inter III et II Nonas Decembris media uiuere deſiiſſe.*

X

De *ſtatu Burggrauiatus Norimbergenſis* plura ingenioſe collecta et concinnata legere licet in den ſo betitelt gegründeten Nachrichten von den Erb-Aemtern des Fürſtenthum Burggrafthums Nürnberg der Durchlauchtigſten Herren Marggrafen zu Brandenburg in Franken, nebſt einem Vorbericht von dem älteſten Zuſtande dieſes Fürſtenthumes, Erlang 1745.

INDEX

Aegidiani coenobii prima initia 41
— — abbatia 58
Aeneae Syluii locus de Noriberga libera interpretandus 11
Annaliſta Saxo teſtis pro Noriberga imperiali 8
Auctor Memorabilium Nordgauienſium conatur probare Noribergam fuiſſe municipalem ex Aenea Syluio 11. 18
ex Ottone Friſingenſi 3. ſq.
— — refutatur 11. 18. 24
Auctores, qui Noribergam uocant municipalem 2
Auentinus Noribergam uocat gentilitium opidum 32
— — explicatur et refutatur 33
Bergium Ptolemaei 48
Carolus M. ad Noribergam caſtra poſuit 41
— — conditor ſacelli Martiniani et Altenfurtenſis 41
Caſtrum Noricum quid? 5
Comitia Burggrauiae 2
Conradinus fil. Conradi IIII multa de imperio ad ſe traxit 28
Conradus Conradi Salici patruelis Noribergam reliquit imperio 48
Conradus Sueuus poſt Henricum V affectat imperium 8. 9
— — poſſeſſor Noribergae tanquam Imperator Romanus 24
Erneſtus Ottonis M. priuignus fabuloſus 46
Fluuii territorium Noribergenſe cingentes 36
Fridericus I quo titulo poſſederit Noribergam 24
— — haereditarias terras quo modo diuiſerit 25
— — octies fuit Noribergae 58. 59
Grindelach 30
Haeberlini Fr. Dom. ſententia de Noriberga a Lothario II feudi nomine data Henrico Bauaro refutatur 93
Henrici III tempore Noriberga urbs imperialis 1
Henricus IIII primus Imperator, quem P. M. excommunicauit 2
Henricus V in coenobium ſeceſſiſſe falſo perhibetur 64
Iudaeorum perſecutio in Germania 4
Lotharii II Imp. res geſtae ex monimentis medii aeui etc. 67-78. 81. etc.
Lotharius aduerſus Sueuos imperii aemulos praeliatur 8. ſq. 11. 13. ſqq.
— — Noribergam obſidet 67
— — moritur Noribergae 78
Meiſterlini ſententia de origine Noribergae 38
Menkenius I. B. pro Noriberga iam ante Conradum III imperiali &c. 89
Naſſouii Comites Noribergae habitarunt 47

Nori-

Noriberga an Bergium Ptolemaei? 38
— — ciuitas imperialis quando? 1. 31. 35. 48. 89. 96
— — num diu tenuis et exilis 2
— — et caſtrum Noricum unum idemque 35
— — non municipalis Sueuorum urbs 2
— — ſub Henrico V imperialis 96. etc.
— — urbs Principis quo ſenſu 5
— — ab Henrico V oppugnatur 85
— — — expugnatur 53
— — poſt Henrici V mortem a Conrado Sueuo nomine Vrbis imperialis poſſidetur 5. 9. 10. 24. 80. 81
— — a Lothario obſidetur 67
— — num Henrico Bauariae duci feudi nomine data 93. 94
— — iurat Sueuis tanquam Imperii Candidatis 17
— — inter haereditarias Friderici I non extat 25
— — a Friderico II uocatur imperialis 25
— — ab Henrico VII et ſucceſſoribus 29. 30
— — contra uſurpatores defenditur 31
— — ab Auentino uocatur gentilitium opidum 30
— — commendatur Ottoni Epiſc. Babenbergenſi defendenda 62
Noribergae origo 36
— — fabuloſa 38
— — uerior et certior ex Pirkheimero 40
— — ſitus et flumina agrum Noribergenſem cingentia 36
— — ſtatus ſub Carolo M. 41
Conrado I 43
Henrico I 44
Ottone I 45
Henrico II 47
Conrado II ib.
Henrico III 48
Henrico IIII et V 49. 96
Lothario II 54
Conrado III 56
Friderico I 58
Henrico VI 60
Friderico II 61
Noribergenſe ſacellum D. Martini 46
— — Petri 40
— — territorium 37
Norici extruxerunt caſtrum 40
Noricum caſtrum imperiale 26. 29
Otto I quando fuerit Noribergae etc. 46
Otto de S. Blaſio habet diuiſionem a Frid. I inter filios factam 25
Ottonis Friſing. locus de immunitate Noribergae 3. 5
— — explicatur ab auctore Memorabil. Nordgauienſ. 4
— — quo modo interpretandus 3
— — uindicatus contra interpolationes minus aequas 3-11
Patriciatus Noribergenſis incrementa ſub Henrico I 44
Pirckheimeri ſententia de ortu Noriberg. 39

N 3 Riche-

Richerius nominat territorium Noribergenſe 37
Schuuabenfeld quid 19
Schuuabenberg intra moenia Noriberg. unde nomen ſortitus ſit 19
Sebaldus S. religione clarus 40. 41
Senior interdum idem ac Rex 5
Spira et Noriberga urbes imperiales a Conrado III occupantur 9. 10
Sueuiae duces affectant imperium 8
Sunleitneri coniectura de Bergio Ptolemaei 28
Territorium Noribergenſe 37
Villa regia quid 5
Willibaldus 40
Wormatienſia diplomata duo ab Henrico III et V data ex autographo communicantur 94

Errores

pag.	lin.	pro	lege
2.	10.	exordius,	exorditus
24.	27.	narrant,	narrant
33.	18.	Pfeffingerus,	Pfeffingerus
35.	24.	Regionis,	Reginonis
36.	18.	Hiſtoricornm,	Hiſtoricorum
44.	9.	nom,	non
48.	12.	Henriei,	Henrici
62.	28.	e iam,	etiam
67.	7.	qni,	qui
68.	26.	communicati,	excommunicati
76.	31.	ſi ut,	ſicut
81.	19.	tranſinit,	tranſiuit
91.	2.	factam,	factum

Tabula

Digitized by Google

Tabula Chronologica

de

NORIMBERGA

A. C.	Rom. Imp. Hiſt.	Pol. Gent. Hiſt.
Saec. I	Per. I 1) Auguſtus.	Norimberga eſt Bergium Cl. Ptolemaei. Caſtrum Noricum ſ. Norenberg munitum eſt a Noricis pulſis et fugatis. Bella a Romanis contra Germanos geſta ſunt.
98	13) Traianus.	
Saec. II	14) Hadrianus.	Bella a Romanis contra Germanos geſta ſunt.
117	20) Septimius Seuerus.	
193		
Saec. III	21) Caracalla et Geta	Bella a Romanis contra Germanos geſta ſunt.
211	41) Diocletianus et Herculius	
284		
Saec. IV	42) Conſtantius Chlorus et Galerius	
304		
	Per. II	
306	1) Conſtantinus M.	
379	6) Theodoſius M.	Bella a Romanis contra Germanos
295	*Occid. Imp.*	
Saec. V.	1) Honorius	
424	2) Valentinianus III	Attila per Noricum graſſante, Norimberga aucta eſt confluxu hominum.
475	11) Romulus Auguſtulus.	

A. C.	Rom. Imp. Hiſt.	Pol. Gent. Hiſt.
Saec. V.	Per. III 1) Heruli in Italia	Conuerſio Francorum in Gallia A. C. 496
475 490	2) Oſtgothi in Italia	Martini feſtum
Saec. VI	3) Longobardi in Italia	Columbanus Florentius
568		Kilianus Gallus
Saec. VII 600		Willibrordus Bonifacius ſacellum S. Petri ad urbem Norimbergam condidit.
Saec. VIII 774	4) Franci in Italia	Willibaldus circa Norimbergam baptizauit. Sebaldus Norimbergae inclaruit.
	Per. IV	
Saec. IX 800	1) Carolus M.	Carolus M. caſtra metatus eſt ad Norimbergam ibique ſacellum S. Martini et ſacellum Altenfurtenſe extruxit. Leo III per Norenbergam profectus eſt ad Carolum M. Carolus M. per Noricunrmontem deſcendit in Forum Iulii.
887	8) Arnulphus	Norimberga non ſubiecta fuit Alberto Bambergenſi ſed iam Caeſaribus paruit.
Saec. X 900	9) Ludouicus Infans	

A. C.	Rom. Imp. Hiſt.	Pol. Gent. Hiſt.
Saec. X 912	Per. V 1) Conradus I	Conradus I urbem Norimbergam caſtello nouo murisque inſtruxit ibique nobiles et honeſtos uiros terrae ſiluisque imperiali nomine praeſidere iuſſit.
918	2) Henricus Auceps	Henrico I regnante florere coepit Patriciatus in Ciuitate Norimbergenſi.
936	3) Otto M.	Otto M. ab anno 938 ad annum 955 bis fuit Norimbergae ibique diem Chriſti natalem celebrauit in templo S. Petri. Otto M. iterum anno 960 fuit Norimbergae in Sacello S. Martini, quum Francoſurto et Wurzeburgo Ratisbonam contenderet.
983	5) Otto III	
Saec. XI 1003	6) Henricus II	Henrico II ex Bauaria Bambergam ſemel iterumque profecto multi Nobiles et inprimis Naſſouii Comites ad Norimbergam ultra Pegneſum ſedes fixerunt ſacellumque S. Sepulcri condiderunt.
1025	7) Conradus II	Conradus II urbem Norimbergam ab Henrico ſeu Conrado Franconico iniuſte occupatam imperio iuſte reſtituit.

Digitized by Google

R. I. H.	P. G. H.
P. V. 8) Henricus III Niger	Henricus III Epiſcopo Herberto Aiſtadienſi Abbatiam S. Aegidii Norimbergenſem daturum ſpondet.
	A.C 1050 Henricus III Curiam habuit Norimbergae de bello Hungarico.
	Henricus III ius mercaturae, uectigalium et numorum cudendorum Norimbergae tradidit aut confirmauit.
9) Henricus IV	A.C.1073 Henricus IV Saxonum defectione agitatus diebus aliquot Norimbergae uerſabatur.
	Norimberga in priuilegio Wormatienſibus dato inter urbes regiae poteſtati aſſignatas refertur.
	A.C.1074 Henricus IV in Nurenberg perrexit obuiam Legatis Apoſtolicae Sedis.
	A C.1077 Henricus IV regalem Curiam Norimbergae habuit.
	A.C.1097 Henricus IV circa caſtrum Nurenberg totam fere aeſtatem moratus eſt.
10) Henricus V	A.C.1105 Henricus V obſedit et expugnauit urbem Norinberch.
	A C.1110 e Polonia uenit Norinberch.

A. C.	R. I. H.	P. G. H.
Saec. XII	P. V. Henricus V	A.C.1112 Henricus V in priuilegio Wormatienſibus dato Ciuitatem Norimbergenſem inter urbes imperiali poteſtati aſſignatas refert.
		A. C. 1127 Lotharius II Norinberg urbem munitiſſimam obſidione premit, ſed a Conrado fugatus diſceſſit.
1125	11) Lotharius II	
		A. C. 1130 Norinberg Lothario traditur imperioque reſtituitur.
		A. C. 1138 Lotharius in Italia aegrotans per Norimbergam in Saxoniam defertur.
	P. VI	Conradus III urbem Nurenberg ab Henrico Superbo iniuſte imperio ſubtractam iuſte reſtituit.
1138	1) Conradus III	
		Conradus III ciuitatem Norimbergam mirum in modum amplificauit.
		Conradus III fuit Norimbergae A. C. 1138 et 1139.
		A. C. 1140 Abbatiam Aegidianam Norimbergae ornauit.
		Habuit Curiam Norimbergae A. C. 1142, 1147, 1150.

A. C.	R. I. H.	P. G. H.
Saec. XII	P. VI 2) Fridericus I	A. C. 1156 Fridericus I Norimbergae Mediolanenſem indixit expeditionem.
1152		A. C. 1165 de noua expeditione Norimbergae conſultauit,
		A. C. 1170 Regem Bohemiae recepit in gratiam Norimbergae.
		A. C. 1174 de regno Bohemico Norimbergae deliberauit.
		A. C. 1181 et 1183 de Henrico Leone cum Principibus imperii Norimbergae conſulauit.
		A. C. 1184 de Ciuitate Italica Alexandria deliberauit Norimbergae.
		A. C. 1187 Norimbergae legem promulgauit de incendiariis pacisque uiolatoribus.
		A. C. 1188 in Epiſcopum Colonienſem Norimbergae iudicauit.
		A. C. 1189 Legatis Graecorum iusiurandum de ſecuro tranſitu impoſuit Norimbergae.
1190	3) Henricus VI	A. C. 1190 Henricus VI curiam habuit Norimbergae de Archiepiſcopo Colonienſi.
		A. C. 1197 feſtiuos Equitum ludos celebrauit Norimbergae.
1197	4) Philippus et Otto IV	Philippus aliquoties curiam inſtituit Norimbergae.
Saec. XIII		Otto IV Curiam habuit Norimbergae de parricidis Philippi A. C. 1208 et 1212 de fraude Pontificis Romani.
1212	5) Fridericus II	Fridericus II in ſolenni Curia Ciuitati Norimbergenſi iura libertatis confirmauit A. C. 1219.

MAC- 2021234

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] by Google